# J. FR. WILH. PAGENSTECHER I, ... DE BARBA, LIBER SINGULARIS, ...

Johann Friedrich Wilhelm Pagenstecher

Ex legato D.ni D. Equitis ~~Antonii~~ Francisci de Marmij



# J. FR. WILH. PAGENSTECHERI, A. A. F.

JC. Consiliarii Regim. & Jurium Philos. Hist. Eloq. Professoris Steinfurtensis

# De BARBA,

*Liber singularis, tertia vice editus, multò auctior & emendatior.*







LEMGOVIÆ,

*Typis & impensis* Henrici Wilhelmi Meyeri, Aulæ Lippiacæ Typograph.

1715.

# JOH. FRID. WILHELM. PAGENSTECHERO,

*V. C.*

*Tractatum suum de Barba repetitæ prælectionis edenti.*

Jurisconsulti dum, Consultissime, munus
Illustre ex omni parte beatus obis:
Quid mirum, afflictis si spes & robora rebus
Sufficis & lapsas erigis atque foves?
Vel Barbam antestor. Vah, quo molimine læsa
Tunditur & pretii nullius icta cadit!
Sed Tu tendis opem miseræ. Næ, non facit: ast hic
Jurisconsultum Barba, virumque probat.

*Auctori præstantissimo, Filio suo carissimo L. M. Q. gratulatur*

A. A. PAGENSTECHER.

**B**arba viros neglecta decet? Te
Præstite compta
Sistitur, & scriptis crispa fit
illa tuis.
Splendidiorque placet barbatis
barba Magistris:
Inde tuum genium Musa loque-
tur anus:
Quod superest Aaron unctus bar-
bamque togamque
Sit clypeus Christus balsama
semper olens.

*Nobilissimo & Amplissimo Auctori Illustris Arnoldini ut & quicquid est eruditiorum hominumocello, tolutim scribebat*

J. A. WOLFIUS,
Concionator Aulicus &
Pastor Ordinarius Stein-
furtensis.



J.F.W.



# J.F.W. PAGENSTECHERI, A.A.F.
De
# BARBA
## Liber singularis.

*Thes.* 1.



Nemo mortalium adeo cœcus est, quin si corporis animique dotes, quibus tum fœminæ tum viri instructi sunt, pensiculate consideret, statim videat, talibus tantisque viros ornatos esse qualitatibus, talibus tantisque viribus munitos, ita dispositos, ita comparatos, ut natura non modo prærogativam iis, sed & eminentiam quandam præ fœminis concessisse videatur: nam quantum ad animum attinet, experientia in præsentem usque diem abunde satis testatur, multo fortiores & ardentiores ejus facultates esse

in viris quam in fœminis, constatque ex diversarum rerum effectibus & monumentis, raro eas ad istam ingenii maturitatem firmitatemque ascendere, quam viri regulariter consequuntur, eo quod earum judicium vulgo inconstans appareat, immo fragile, molle, pavidum, mutabile & ambiguum, in tantum ut in proverbium abierit, *varium & mutabile semper fœmina:* Videmus id insigni quodam hieroglyphico ab antiquis adumbratum in Dea Fortuna, ejusque, quem ob hanc causam habet, vestitu muliebri, ut vel solo aspectu inconstantiæ & temeritatis ejus recordemur. Math. *Syst.Pol.p.m.276.* huc spectat Marulli Constantinopolitani ad Necram canentis:

*Nec vel consilio, rebusve admittere agendis,*
*Sed tantum lanis esse putare satas.*

Vid. Patrui nostri Dn. W. J. Pagenstech. Regiminis, quod est Marburgi, Consiliarii gravissimi *Præl. Publ. ad l. 2. de R. J.* clarius id expressit Tibullus in *l. 3. eleg. 4.*

*Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen,*
*Ah pereat, didicit fallere si qua virum,*
*Sed flecti poterit, mens est mutabilis illis,*
*Tu modo cum multa brachia tende fide.*

Nescio numne hæc sit ratio, ob quam Aristoteles fœminam appellet animal aliquod occasionatum *1. Pol.* eamq; tertiam spe-

ſpeciem homines inter & animalia referre exiſtimet Plato: vid. Godd. *ad l. 1. de V. S. n. 29.* dicatque de eis Joh. de Nevizanis *lib. 1. Sylv. nupt. 1. §. 10. nam earum natura eſt in principio habere præſumtionem, in medio ſtultitiam, in fine verecundiam.* Neque ad rem pertinet, quod aliquando nonnullæ fuerint, & adhuc reperiantur hodie, quæ modo eadem, qua viri, virtute pollent, modo etiam antecellunt, ſicuti pluribus exemplis illuſtrat honor. Dn. Parens in *Syll. Diſſ. 10. de Dom. mar.* & inter alias de S. Catharina dicitur, quod inter diſputandum quinquaginta philoſophos ſuperaverit. Stangefol. *ann. circ. Weſtph. a. c. 307.* cum non ex uno alterove, eoque raro & ſingulari caſu judicandum ſit atque ſtatuendum, ſed ex eo quod communiter regulariterque in oculos & ſenſus occurrit; quemadmodum, quantum attinet ad corpus, & multæ fœminæ exiſtunt, quæ ejus nervoſitate varios viros ſupergrediuntur, cum tamen extra omnem poſitum ſit dubitationem, viros regulariter & nervorum firmitudine, & lacertorum robore, & corporis viribus immane quantum præſtare: quare, cum fœminæ non tantam utilitatem in Rempublicam conferant, quantam viri, con-

cludunt Politici nec nimium juvenes ad matrimonium facile admittendos esse, quia ut plurimum fœminas generant. Cellar. *pol. c. 2. §. 18.* Nam quod Lygastarum mulieres adeo robustæ sunt, ut medios pariant inter labores, lotoque infante statim ad fossionem redeant, id tanquam singulare aliquod prædicat Aristoteles de *mirab. auscult.* Sicuti circa Mæotim Laxamathæ viri pedibus, fœminæ equestri prelio depugnant: Pompon. Mela *l. 1. c. 21.* Ita cum animo & corpore res sese habet: Sed quid dicam de quibusdam naturalibus actibus, diversisque aliis atque aliis agendi modis, nonne & illi certam quandam excellentiam conciliant viris, fœminas vero submissionis & reverentiæ erga viros tacite admonent? Verum non opus est longo verborum syrmate hanc veritatem stabilire, cum vel sola Barba, qua viri superbiunt, quaque minacem vultum ostendunt, ut inquit Glossa ad *l. 1. C. ne lic. potent.* signum referat luce meridiana clarius; nam pili, si cum Aristotele physiognomizare gestimus non tantum extremi corporis fortitudinem demonstrant, sed & est barbatum mentum dignitatis (quanquam Plater. *Quæst. med. Parad.* *cent.*

*cent. Posth. n. 6.* eam ad decorem nihil conferre, ſed virilitatem duntaxat oſtentare putet) auctoritatisque ſpeculum clariſſimum, unde veteres tum comam, tum ſpeciatim barbam adornare laborabant, ut nonnullas videmus ſtatuas, Serv. ad *6. Æneid. v. 300.* quod vel Panegyricus ad Trajanum probat, dum inquit, *jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris, nonne longe lateque Principem oſtentant?* nil minus Nicander Spartanus, *quare Lacedæmonii barbam alerent,* interrogatus reſpondens, *quoniam hic ornatus præ omnibus aliis homini æſtimandus.* Cicer. *3. de finib. bon. & mal. 18.* ibi: *alia autem nullam ob utilitatem, quaſi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumæ verſicolores columbis, viris mammæ atque barba.* Quare Romani adoleſcentes magnæ indolis, primæ lanuginis barbam Diis conſecrabant, ſicuti Athenienſes, cum ex ephebis exceſſiſſent, primitias crinium Delphos deferebant: Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib. 5. c. 18.* Quale exemplum recenſet Sueton. in *Neron.* hiſce verbis: *Gymnico, quod in ſeptis edebat, inter Buthyſiæ apparatum, barbam primum poſuit, conditam in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam capito-*

*lio consecravit.* vid. Anton. de Guevara *Hor. Princ. edit. Joann. Wanckel. in Proœm. n. 19.* Idem Octavianus Augustus fecisse dicitur apud Dion. *lib. 48.* ἀμέλη τὸν πώγωνα ὁ Καῖσαρ τότε πρῶτον ξυράμενος: hinc Martialis *3. epigr. 6.*

*Lux tibi post Idus numeratur tertia Majas,*
*Marcelline tuis bis celebranda sacris.*
*Imputat æthereos ortus hæc prima parentis,*
*Libat florentes has tibi prima genas.*

Et Ovidius de se ipso *Trist. 4. eleg.* 10.

*Carmina cum primum populo juvenilia legi,*
*Barba resecta mihi bisve semelve fuit.*

Cæsari in eodem pretio barbam fuisse constat ex sequenti carmine apud Janum Nicium Erythræum *Eudem. lib. 3. p. m.* 99.

*Sex Cæsar lustris binos adjunxerat annos,*
*Et nondum barba junxerat ora levi*
*Nec dare cessabat medicata liquamina mento*
*Sedulus, & votis sollicitare Deos:*
*Quod tandem faciles dii concessere roganti,*
*Rugosæque pilis obriguere genæ.*
*Verum dum gaudet barbato incedere vultu,*
*Et sic formosum se putat esse virum,*
*Nescio quo fato, tanto quæ parta labore*
*Barba fuit misero, non bene firma cadit.*

Idem Tibullum sensisse patet ex 1. *eleg. 4.*

*Quæ tua formosis cœpit solertia? certe*
*Non tibi barba nitet, non tibi culta coma.*

Idem judicarunt antiqui Philosophi, ut inter alios Camerar. *subcisiv. hor. cent.* 1. *c. 36.*

c. 36. in sequentibus. *Recte Aristoteles & pleriq; Philosophi tradiderunt barbam viris à natura ornamenti dignitatisque causa contributam.* Rationem addit Augustin. in *Ps. 44. v. 3.* quia *barba significat fortes, impigros, alacres.* Conf. *de Civit. Dei 22. c. 24.* Eleganter Johan. Heidfeld. in *Sphing. Theol. phil. c. 5. p. m. 406. Barba confert ad dignoscendum corporis maturitatem, ad differentiam sexus, ad decorem virilitatis & roboris, ut videatur omnino non constituta fuisse totius corporis ratio, si quicquam aliter esset effectum:* breviter at nervose Abrahamus à S. Clara in tract. Judas der Ertz-schelm *p. 76.* Im übrigen / inquit, ist der Bart einem Mann eine absonderliche Zierde. Quapropter Phædrus barbam appellat *ornatum, dignitatem, & gloriam;* ita se habet hanc in rem ab ipso conscripta fabula *lib. 4. fab. 15.*

*Barbam capellæ cum impetrassent à Jove,*
*Hirci merentes indignari cœperant,*
*Quod* dignitatem *fœminæ æquassent suam:*
*Sinite, inquit, illas* gloria *vana frui,*
*Et usurpare vestri* ornatum *muneris,*
*Pares dum non sunt vestræ fortitudinis.*

Imo, *incredibile est,* inquit Lactantius *7. op. Dei, quantum barbæ ratio conferat ad decorem virilitatis ac roboris:* hinc Ovid. *Metam. 13.*

Bar-

*Barba viros hirtaque decent in corpore seta.*

Quid?

*Credebant hoc grande nefas & morte piandum,*
*Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si*
*Barbato cuicunque puer.*

Juvenal. *Sat.* 13. *v.* 54. unde non potest non esse, quin barbæ violatio sit dignitatis contemtus gravissimus, summa injuria, & intolerabilis despicientia: hinc Horat.

*Barbam tibi vellunt lascivi pueri.*

Persius *Sat.* 1. *in fin.*

*Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.*

Hinc dicuntur legati Davidis propter barbam iis ab Henone evulsam summa injuria affecti. *Paralip.* 20. *v.* 4. Geier. *de Ebræor. luct. c.* 8. §. 14. hinc numeratur abrasio barbæ inter calamitates, quas Deus per Isaiam minatus est Moabitis. Jesai. 16. *v.* 2. putatque famosus ille satyricus Philander von Sittewalt. (quem scias esse Joh. Mich. Moscherosch, ut vides apud Ferd. Neoburg. Cur. Hoffm. *p.* 2. *c.* 8.) *part.* 2. *pag.* 50. *& seq.* dignitatem virorum magnam capitis diminutionem pati, eo quod barba hodie abradi soleat: illud sane omni caret dubio, barbam in majori pretio & honore olim fuisse: quam nunc est, præprimis, si cogitamus, quod & Cæsares Principesque de ea nomen acceperint, seque Barbatos appellari sibi gloria

gloriæ duxerint: non concessisset Fridericus Barbarossa se Barbarossam vocari, nisi certam quandam gravitatem, & suæ majestati convenientem majestatem in barba posuisset, non fuisset Comes Gothofredus, unus ex Pharamundi Francorum Regis successoribus, a quo Serenissimi ac Potentissimi Hassiæ Principes descendunt, Barbatus cognominatus, nisi splendidam quandam venerabilemque dignitatem à barba venire cognovisset, vid. Durchl. Welt. *p. 4. p. m.* 149. quis nescit Principem Eberhardum Ducem Wurtenbergensem ob eandem causam habere Barbati nomen? saltim id innuit Sebaldus Noricus in carmine apud Christ. Besoldum in Dissert. de *Jur. Acad. p. m.* 99. sequenti:

*Hic situs est, cui barba dedit cognomina Princeps,*
*Princeps Teutonici gloria magna soli.*

Quis nescit Neronis patrem ab ænea barba dictum Ænobarbum, in quem nimia arrogantia superbum ob id sic lusisse fertur L. Crassus orator: *Quid mirum si barbam habet æneam Domitius, cum & os ferreum, & cor habet plumbeum.* Mirum sane, quod cum antea nigra fuerit, postea ob crebram palpitationem à duobus juvenibus peractam, in æneam mu-

tata ſit: vid. Chriſt. Ludov. Dietherrn. *add. ad Beſold. th. pr.* voc. radiren. Quis neſcit Conſtantinum Pogonatum, ſive Pogonatem, ob id Pogonati, id eſt, Barbati nomen accepiſſe

*quod parans Mezizii*
*Ducis in luem claſſem tener & imberbis,*
*Hinc reverſus ampla viſus eſt barba decens.*

vid. Rupert. ad *Beſold. Syn. p. m. 588.* Sunt tales adhuc plures: Quidni & ille Barbarius Philippus, de quo in *l. 3. ff. de off. præſ.* quidni & Barbatio apud Bonifac. *Lud. Hiſt. Lib. 8. c. 16.* & Andreas Barbatia, apud Alber. Gentil. *de nupt. lib. 2. c. 19.* At mittamus hos, ſufficiantque hæc pro barbæ dignitate, & virorum præſtantia: Interim mirari non poſſum ſatis Paulum Zacchiam in *Quæſt. med. Leg. tom. 3. conſ. 61. n. 4.* Barbæ decus ob id impugnantem, quod ſæpius contingat adoleſcentes pulchritudine excellentes emiſſa barba nullum prioris formoſitatis veſtigium ſervare: quaſi decus faciei viris ponendum eſſet in vultus virginitate, quaſi glabretum deterius fiat, ſi fructus ferre incipiat: Nolim tamen maritus aliquis ex hac ſuæ barbæ majeſtate, & exinde ſibi inter alia competente prærogativa jus quoddam ſibi deſpoticum, aut domi-

dominium in uxorem competere contendat, quamvis enim Barbari fœminas servorum instar habuerint, Aristot. 1. *Pol.* 2. quamvis Muscovitæ amorem erga uxores ex crebritate verberum æstimaverint, Wendelin. *pol.* 1. *th.* 18. juxta illud,

*Nux, asinus, mulier, simili sunt lege ligati,*
*Hæc tria nil recte faciunt, si verbera desunt,*

quamvis Galli maritalem potestatem in jure vitæ & necis posuerint, Cæsar de *Bell. Gall.* 6. talem tamen potestatem non inducit barbæ gravitas, nec cætera, de quibus loquuti sumus, in viris conspicua prævalentiæ signa, sed saltem, ut diximus, prærogativam, marito non ut marito, sed ut viro competentem: Persuasi enim sumus, nullum de mero jure naturæ dominium in uxorem maritum habere, neque matrimonium monarchiæ, sed Aristocratiæ, salva, prærogativa sexus masculini, assimulandum esse, tum propter mutui adjutorii, utpote matrimonii principalis scopi, indolem, tum propter contractuum, ad quos sine dubio matrimonium pertinet, contrahentes qua tales pari lance trutinantem naturam: vid hon. Dn. Parens in *Dissertat. de Domin. marit.* Nec moror illud Aristotelicum, quod quidam naturâ

sint

ſint ſervi, contra quidam natura domini. Mich. Praun. adel. *Europ. p. m.* 59. Unde Euripides Iphig. in Aulid. Βαρβάρων δὲ Ἕλληνες εἰκὸς ἄρχειν, ἀλλ' οὐ βαρβάρους Ἑλλήνων· τὸ μὲν γὰρ δοῦλον, οἱ δὲ ἐλεύθεροι. *Convenit Græcos barbaris imperare, non autem barbaros Græcis, barbari enim ſunt natura ſervi, Græci vero liberi*, quaſi uxores ob id maritorum ſuorum ancillæ haberi debeant, quia illud magis natura imperat, quod natura eſt melius & perfectius, Cellar. *pol. c.* 3. *n.* 19. In confeſſo autem eſt, fœminas regulariter & communiter minus prudentes eſſe & minus perfectas, illasque habere βουλευτὸν ἄκυρον, Ariſt. I. *Pol. c. ult.* unde Ovidius:

*Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.*

Nego enim ſuppoſitum iſtud Peripateticum cum natura convenire, nego illud eſſe ſtringens, concludens, fundatum, nego illud ex genuina aliqua ratione defendi poſſe, cum aliud ſit eſſe natura ſervum, aliud eſſe ad ſervitutem aptum. Pufendorf. de *Jur. nat. lib.* 3. *c.* 2. § 8. *& ſeq.* verior eſt ſententia Quintiliani in *Declamat.* 3. dicentis: *Quid non liberum natura genuit? taceo de ſervis, quos bellorum iniquitas in prædam victoribus dedit, iisdem legibus, eadem fortuna, eadem neceſſi-*

*cessitate natos: ex eodem cœlo spiritum trahunt, nec natura ullis, sed fortuna dominum dedit.* vid. H. Grot. de *Jur. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 8.* Potgieser. *de condit. & Stat. Serv. lib. 1. c. 1. §. 2.* Profecto habet ista Aristotelis doctrina & hoc absurdi, ut Reges, Principesque, quos Deus ut Dominos in terris constituit, si fortean ingenio viribusque animi imbecilliores sint, subditorum suorum plus valentium servi dicendi forent, quod sicuti quam maxime absonum est, inconveniens & irrationale, ita nec natura servos agnosco, nec marito dominium in uxorem concedo, nimirum quod ad Jus naturæ, ut dixi, merum attinet, nam prærogativam ei aliquam ex sexu masculino, & secundum jus divinum positivum dominium aliquod, licet non despoticum, sed limitatum competere lubens concedo: vid. Strauch. *Inst. Jur. Publ. lib. 1. c. 2. §. 2.* idque vult *Genes. cap. 3. v. 16.* & Paulus in *epist. ad Ephes. c. 5.* Oportet igitur illum, qui verba Geneseos **und er sol dein Herr seyn**/ hoc modo exposuit, **und he schal over dy herrschopen/ dy vackent to pynengkende und to sladend**/ non intellexisse naturam matrimonii, nec cordatum egisse translatorem, quam ob causam

nobilis quædam fœmina visis istis verbis statim addidit hanc glossam, **dat hevet in Schelme schrivende:** vid. Georg. Casp. Kirchmaj. *Comm. in Tacit. German. cap. 40.* Ei vero, quod de prærogativa dixi, videntur obstare varii textus & auctores in quibus & apud quos uxor mariti sui *Domina* vocatur, ut consequenter non illi, sed huic potius prærogativa adscribi debeat, ita enim inquit testator in *l. 41. in pr. ff. de legat. 3. Peto a te Domina uxor:* item *in l. ult. §. 1. ff. de aur. & arg. leg. Semproniæ Dominæ meæ:* item *in l. 19. §. 1. ff. de ann. leg. Domina sanctissima* (fœminis sanctum aliquid inesse & providum putabant Germani. Tacit. *de mor. germ. c. 8.* vid. Strab. *lib. 7. p. 264.* Flor. *lib. 1. c. 10.* Joh. de Nevizanis *Sylv. nupt. lib. 4. n. 24.* easque ut Deas colebant. Alex. ab Alex. *gen. dier. lib. 4. c. 11.*) item apud Ovid. *lib. 3. trist. eleg. 3.*

*Nuntiet huc aliquis Dominam venisse, resurgam.*

Item:

*Nec Dominæ lachrymis in nostra cadentibus ora.*

Virgil. *lib. 6. Æneid. v. 397.* ibi: *Hi Dominam:* Quibus accedit quod ex diversarum gentium institutis præter nomen & ipsum jus braccæ verumque dominium in viros exercuerint, quemadmodum

dum de Sauromatis Ægyptiisque apud quos fœminæ negotiantur & cauponantur, viri vero intra domos texunt, memoriæ proditum, Herod. ſane Spartanæ mulieres adeo dominabantur inperitabantque viris ſuis, ut hi ſæpius cum Nicolao apud Erasmum in Colloquiis pro poppyſmate & palpo tripodem ſentirent, quare Spartana mulier, cum ab hoſpite argueretur, quod ſolæ viris imperitarent, lepide reſpondit, *haud immerito, nam ſolæ viros parturiunt*. Alex. ab Alex. *lib.4. c.8.* Idem fere de fœminis patriæ ſuæ teſtatur Rodenburg. *de Jur. Connub. in fin.* At miſſis hiſce exemplis ſciendum eſt, uxorem vocari Dominam non reſpectu mariti, ſed reſpectu familiæ & ſucceſſionis, qua uſque ad Theodorici tempora ab inſtitutis Romuli gaviſa eſt, unde *heres* dicitur ab *herus*, id eſt, dominus, veteres enim heredes pro dominis appellabant: *§. ult. J. de her. qual. & diff. l. 1. ff. de bon. poſſ.* Guil. Forner. *Select. lib. 1. cap.* 11. vel dic illam vocari Dominam intuitu rerum ſuarum quas ſtante habet matrimonio, cum dominium etiam rerum dotalium penes uxorem maneat, *l.30. C. de Jur. dot.* niſi malis illa loca referre ad blandientium maritorum ſeſama atque pa-

pavera: Dn. Parens *de Jur. Fil. membr. 2. in fin.* Lambert. Goris *adv. jur. p. 1. tr. 1. c. 1. n. 9.* Elige cui dicas, nam si proprie intellexeris, Nicolaus eris, læsæque barbæ te reum facies, scivit id mulier in litteris ad maritum apud Paulum in *l. 57. ff. de donat. int. V. & U. Cum petenti mihi à te Domine charissime.* Item: *in l.* 88. §. 2. *ff. de legat. 2. Mævi & Semproni, filii dulcissimi, præcipitote omne, quidquid ex hereditate bonisve Titii Domini mei patris vestri.* Item in *l.* 41. §. 4. *de leg.* 3. hallucinatur ergo Mornac. ad *all. l.* 57. putans unicum duntaxat textum in Corpore Juris Civilis reperiri, in quo maritus vocetur *Dominus:* Conf. Virgil. *lib. 4. Æneid.*

*Connubia nostra*
*Reppulit, ac Dominum Ænean in tecta recepit,*

Interim nota illos etiam in jure nostro vocari Dominos, qui sibi æquales sunt. *l. 22. pr. ff. ad L. Falcid.* Senec. *ep.* 105. *quomodo obvios si nomen non succurrit, dominos salutamus:* Conf. Dn. Outhoff, *Comm. in libr. Ruth. p. m.* 405.

*Thes.* 2.

Quoniam igitur Barba, uti in præcedenti thesi demonstravimus, tam nobile naturæ decus est, tam præclarum ornamentum, tam illustre tamque egregium decus,

decus, & auctoritatis & dignitatis insigne speculum, hinc facile est judicare, quare diabolus nonnunquam appareat sub specie alicujus grandævi morosique senis prolixam mento pendentem habentis barbam: Sane omnis superbiæ fons est, & origo: Talem autem se stitit visendum Athenodoro Philosopho, referente Plinio secundo *lib. 7. epist. 27. Erat,* sunt verba Plinii, *Athenis spatiosa & capax domus, sed infamis & pestilens, per silentium noctis sonus ferri, & si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde proximo reddebatur, mox apparebat idolon, senex macie, & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo.* Talem eum B. Martinus dicitur vidisse apud Sulpicium Severum de *Vit. Mart.* nisi dicas diabolum sibi barbam sumere, ut eo terribilior existat, quemadmodum in bellum ituris ad perterrendos hostes id consuetum fuit, uti de ea re testis est Plutarchus *c. 44.* Verum quid rides BECKERE? spectra dari, adeoque & diabolum barbatum negas? ita profecto videris contendere in libro tuo, *van de betoverde Werelt:* Ita constat ex numismaate in te cuso, cujus altera facies refert juvenem manu tenentem clavem, qua nonnullis à

latere volantibus malis ſpiritibus omnem poteſtatem ademtam demonſtras, cum inſcriptione, *odi profanum vulgus & arceo.* vid. Der geöffnete Ritter-Platz *lib.* 1. *p.* 2. *p. m.* 154. At ſcias, jam multos hanc cotem vel prima novacula ſecuiſſe: vid. *Act. Erudit. Lipſienſ. ad Ann.* 1692. *menſ. Jan. pag.* 19 *& ſeqq.* Inter quos non omittendus Jacobus de Cluſa Carthuſanus in libro de Apparitione animarum ſeparatarum apud Ludovicum Lavaterum Tigurinum de *Spectris p. m.* 97. Tranſeo illa quæ de Proteo in Ranis refert Ariſtophanes ratione Dionyſii ad inferos pergentis, aliaque, de quibus Gothofred. ad *l.* 27. *ff. locat.* Kipping. *Antiq. Rom. l.* 1. *c.* 1. *n.* 6. Steuber. *de Spir. compl. ſin. m.* 2. §. 5. *claſſ.* 2. *n.* 3. Quanta non ſunt, quæ de ſpectro Sileſienſi, vulgo der Rübezahl narrantur, de quo multa congeſſit Adamus à Mediovilla in *narratione Theol. Hiſt. de ſpectro* Rübezahl. Quanta non ſunt, quæ de inſula ad Canadam Drogeo præternavigantes paſſim referunt, adeo ut *Diabolorum inſulæ* ob ſpectrorum frequentiam dicta ſit. Cluver. *Geogr. l.* 6. *c.* 15. & ibi Buno *in not.* Johann. König. *veſt. Geogr. p. m.* 350. Immo omnem ſcrupulum omnemque hæſitationem videtur removere

vere famoſum illud, & toto quaſi cantatum orbe, ſpectrum Berolinenſe, vulgo die weiſſe Frau/ de cujus exiſtentiæ veritate non ſaltim ſuperſtitioſa quædam anus, ſed & conſtantiſſimi graviſſimique viri, quibus æs triplex circa pectus eſt, tanta dedere documenta, ut J. Bergius in ſermone funebri Johannis Sigismundi, March. Brand. hocce rotundum atque impavidum teſtimonium hac de re luci chartæque committere auſus fuerit: Nachmittage fragten endlich Se. Fürſtl. Gn. ob man auch die weiſſe Frau wieder geſehen? und zwar/ es hatte nicht allein dieſelbe Tage/ ſondern auch die gantze Zeit her/ in welcher der höchſte GOtt das Hauß Brandenburg mit ſo manchen Todes-Fällen heimgeſucht/ ein ſolch Geſicht in weißleydtragender Geſtalt auf dem Churfürſtl. Hauſe zu unterſchiedenen malen allerhand Standes und Alters auch Fürſtlichen Perſonen/ jedoch ohne ſchädlichen Schrecken/ oder jemands Verletzung ſich ſehen laſſen/ alſo/ daß man nicht mehr daran zu zweifeln. Toto igitur cœlo errant illi, qui metum ſpectrorum pro metu vano habent, nam etiamſi ſpectra revera non dentur, tamen non poteſt dici vanus, qui in conſtantiſſimos ſummæque auctoritatis viros cadit,

dit, metus: Dn. Parens in *tract. de Cornibus & Cornutis Diss. 2. §. 5. & seqq.* præprimis cum non tantum Romano-Catholici, sed & saniores Reformati Lutheranique eandem de spectris sententiam habeant: vid. Rever. & Celeberr. Dn. H. Hulsius *de Princip. Cred lib.* 1. *Sect.* 6. De Lutheranis eo minor est dubitatio, quod ipse Lutherus se diabolum vidisse affirmet, ita enim scribit: **Der Teufel zeucht zuweilen eine Larve an/ wie ich** NB. **selbsten gesehen habe/ daß er sich sehen lässet/ als wäre er eine Sau/ ein brennender Strohwisch und dergleichen:** Ita ut non dubitem, quin eum sæpe etiam, æque ac Athenodorus Philosophus, conspexerit barbatum, barbatus enim existit, ut terrificet, vid. Corn. Nep. *in Datam. c.* 3. imberbis apparet, ut alliciat, quis enim credere potest astutum istum serpentem tum barbatum esse, aut genas tum pilis habere obduratas, quando libidinis concubitusque causa ad fœminas accedit, fugerent profecto ejusmodi basiationem mitia illa atque corallina labra, unde *illi*, inquit Dn. Parens in *all. tract. de Corn. D.* 2. §. 7. *qui cum puellis concumbunt diaboli, gratissima amasiorum figura solent apparere, quin & fuit unus eorum qui se* **Süßholtz** *appellaverit:*

*laverit: ſed ubi nocere mortalibus geſtit, terribili ſpecie ſe ſiſtit.* Diabolum vero cum mulieribus quoque nonnunquam concumbere, videtur quidem prima fronte abſonum, uti ajunt Godelman. *lib. 2. de Lam. c. 5.* Geilfus. *Pneum. contempl* 10. §. *38.* Affirmant id tamen Doctores communiter, tam Theologi & Juriſconſulti, quam ſaniores Philoſophi Klein. *jud. lam. conf. c. 1. n.* 10. Mart. Delrio *diſq. mag. lib. 2. qu.* 15. Beda *in Lucæ c. 8.* aſſeritque Auguſtinus *lib. 15. de Civit. Dei c. 23.* Id adeo certum eſſe, ut contradicere magnæ ſit impudentiæ. Dn. Parens *d. diſſ. d. Corn. 2.* §. *5.* Præprimis cum nec exempla deſint, quibus poſterior ſententia ſtabiliri, aut potius colorari poſſit: Ita Platonis matrem à ſpectro Apollinis ſtupratam, ipſumque Platonem ex iſto coitu conceptum eſſe ſcribit Weier. de *præſtig. dæm. l. 3. c.* 22. Ita Corcoton dæmonem in Hiſpaniola cum mulieribus ſe commiſcuiſſe, & ex eo Bicornes eſſe procreatos pervulgata res eſt, idem referunt de Merlino in Anglia, & de Hunnis in Panonia, quorum ille ex dæmone quodam, hi vero ex Artunis ſtrigibus Gothicis & Faunis nati dicuntur: vid. Anton. le Grand. *Phil. part. 3. art. 9. in fin.* Quid? ipſum ſacratiſſi-

mum Principem nostrum Justinianum ex ejusmodi concubitu progenitum ait Procopius in *Arcan. Hist. c. 12.* ita ait, sed parum fidei adscribunt ei Joh. Bodin. *hist. c. 4.* Mart. Hanck. de *Byzant. rer. script. lib. 1. c. 5. n. 36.* en obtrectatoris verba: *Certe Justiniani matrem nonnullis ex necessariis narrasse ferunt, hunc non Sabbatii conjugis, aut hominum cujuspiam esse sobolem, sed eo gravida antequam esset, quandam genii speciem ad se ventilasse, quæ non ad visum, sed ad contactum se præberet, accubaretque sibi, & quasi maritus se conjugem iniret, denique veluti per insomnium evanesceret:* Pergit: *De Theodora cum adhuc erat in scena, ejus amasii ferunt, nocturnos lemures in fornicem irrumpentes, inde se abegisse, ubi multam noctem cum illa traherent.* Simile quid Venetiis contigisse recenset Franciscus de Licht in *tract. de Nihilo p. m. 60.* quod si attendisset Cellarius in *Polit. c. 2. §. 13.* Fortean non derisisset Pomponium Melam narrantem, grandem littoris Æthiopici flexum, grandem insulam inclusisse, inque ea tantum fœminas esse toto corpore hirsutas, & sine coitu marium sua sponte gravidas; quas merito cum Rubellione comparaveris, de eo enim idem commemo-

memo-

memorat Ariſtot. *l.* 2. *gen. anim. c.* 5. & quid mirum, ſi fœminæ ex hoc ſolo imprægnari poſſunt, quod ſecum circumferant clauſam in pyxide araneam? ita ſane Turneb. *l.* 15. *c.* 17. hinc Juvenalis *Sat.* 2. *v.* 141.

*& illis*
*Turgida non prodeſt condita pyxide Lyde.*

Credo eadem facilitate, qua Juno ex comeſu lactucarum agreſtium gravida facta Heben peperit, de quo Pomey in *Panth. Myth. pag.* 72. primusque Sinenſium Imperator Fohius Thienſu ex hoc ſolo concipi potuerit, quod mater ipſius ad ripam lacus, à quo Lanthien, urbs in provincia Xenſi, alluitur, deambulans ingens hominis veſtigium calcaverit in arena impreſſum: auctore Martino Martinio *Sinenſ. Hiſtor. lib.* 1. *Imp.* 1. Verum uti hæc nullam ſpeciem habere, ordinationi quoque divinæ adverſari videntur, ita quantum ad priora, apparitiones, inquam, ſpectrorum attinet, decet quemlibet Chriſtianum ſeſe armare ſcuto fidei, & cum Cicerone effari, *ſpectris etiamſi oculi poſſint feriri, animus qui poſſit, ego non video.* Abr. à Weſel *tr. de Rem. merc. c.* 4. *n.* 1. Oportet id maxime ſequutos fuiſſe Imperatores Conſtantinum & Juſtinia-

ſtinianum, eosque qui tunc temporis vixere Romanos, oportet eorum nec animos potuiſſe nec oculos feriri, oportet eos ad quamcunque diaboli apparitionem immobiles Marpeſiæ cautis inſtar ſtetiſſe, quis enim ſibi perſuadebit eos, diaboli præſentiam abhorruiſſe, quibus permiſſum & familiare erat cum ipſo cacadæmone ſocietatem contrahere, fœdera ſancire & pacta inire, tali pacto, talique conſuetudine nullis criminationibus implicanda, ſed ab omni pœna plane & prorſus libera, &, quod magis eſt, à præfatis Chriſtianis Imperatoribus, Conſtantino ſcilicet & Juſtiniano expreſſe approbata, confirmata, laudata: Ita ſane ſcribunt, ſtatuuntque Doctores communiter inducti *lege quarta in Cod. de maleficis & mathematicis*, putantes in hoc textu artes magicas quibus non cujusquam ſalus aut æſtimatio læditur, in tantum permitti, ut quis impune poſſit cum diabolo paciſci ut irruentem grandinis lapidationem à vindemiis in proximum mare avertat: At quemadmodum talis ſocietas cum Chriſtiana ſinceritate nullatenus concordat, neque veriſimile apparet Principes iſtos adeo procul erraſſe, ita nec omni caret dubio, num talis ſenſus

ſus ex allegato textu erui probarique poſſit: en integra verba: *Eorum eſt ſcientia punienda, & ſeveriſſimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra ſalutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe detegentur, nullis vero criminationibus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus, aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis grandinisque lapidatione quaterentur, quibus non cujusquam ſalus aut æſtimatio læderetur, ſed quorum proficerent actus, ne divina munera & labores hominum ſternerentur.* Verum cum in hoc textu artes magicæ expreſſe ſeparentur ab aliis corpori humano quæſitis remediis, illæque damnentur & plane improbentur, hæc vero contra tolerentur & permittantur, adeoque hæc duo ſibi invicem clare opponantur, hinc poſſet merito quæri, quo modo hæc verba legis torqueri debeant, ut inde ſequatur, artes iſtas magicas, quibus nemini damnum infertur, eſſe licitas & conceſſas, ut non ſatis mirari queam Carpzovium & Cujacium, quorum ille ſtatuit Juſtinianum in eo peccaſſe, quod legem iſtam quartam Codici ſuo inſeri permiſerit:

*part.*

*part.* 4. *Const.* 2. *Def.* 7. *n.* 7. hic vero, hanc constitutionem piis merito improbari, *lib.* 27. *Obs.* 17. horum vestigia premit Brunnem. *ad all. l.* 4. Qui tamen in eo iterum ab iis recedit, dum ait, non improbabiliter statui posse, Imperatorem Christianissimum non de incantamentis, sed de lustrationibus agrorum, quæ cum publice decantatis litaniis fiebant, esse intelligendum, & de Processionibus solennibus: Ita videtur statuendum, neque enim agit *l.* 4. de artibus magicis, neque de pacto vel societate cum diabolo ineunda, sed loquitur de *remediis* & *suffragiis* quibus speculatores grandinis, quos χαλαζοφύλακας appellabant, futuram grandinis lapidationem, quam ex nubium colore & situ notabant, observabantque, avertere laborabant: Scilicet Romanorum nonnulli aeris nubiumque periti putabant ventos, imbres, grandinem, & quamcunque tempestatem posse publice decantatis litaniis commode averti & flecti, immo pro se quisque alius agnum immolabat, alius pullum, & protinus illæ nubes declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis. Senec. 4. *natur. c.* 6. & 7. Ita ut & luna cœlo demigrare diceretur: hinc Poeta:

*Car-*

*Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.*
*Te quoque luna traho.*

Unde lunæ defectus καθαιρέσεις, i.e. *detractiones* sunt appellatæ, Veneris testimonio, apud Lucianum lunam interrogantis, cur cursum sistat, cum ad Cariam pervenit & aspectet Endymionem dormientem, & ad ipsum descendat; quamvis illud *descendere* possit referri ad lucubrationes, observationes, & studia ab Endymione in monte Latmo ad lunæ naturam cognoscendam adhibita. Johan. Pincier. *Ot. Marp. c.* 37. Thessalia inprimis hac arte nobilis, uti apud Claudianum: *Novi quo Thessala cantu eripiat lunare jubar:* Tibull. 1. *ecl.* 8.

*Cantus vicinis fruges traducet ab agris.*

Albert. Gentil. *Lect. Virg. c.* 16. Virgil.

*Sistere aquam fluviis & vertere sidera retro.*

Liv. *lib.* 26. *Disposita in muris campanorum imbellis multitudo cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet.* Quo ritu, quibusque sacrificiis cum non cujusquam salus aut æstimatio lædatur, hinc potuit Imperator Christianus ea facile permittere absque læsione conscientiæ suæ, præprimis cum tales litaniæ cum clamore & vociferatione conjunctæ, nec omni ratione & fundamento naturali, ad frangendas nubes, & avertendam

tendam imminentem aeris intemperiem, destituantur, sicuti adhuc hodie in quibusdam civitatibus, quando vel cœlum fragore tonat omne, furentesque fulgure ac tonitru incipiunt sævire venti modo campanæ agitantur, modo bombardæ solvuntur, quorsum Divus maximus Tauronensis Episcopus apud Lipsium ad Tacit. I. *ann. c.* 28. in verb. *Igitur æris sono, tubarum cornuumque concentu strepere sequentibus: Cum requirerem quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi quod laboranti lunæ vestra vociferatio subveniret, & defectum ejus suis clamoribus adjuvaret:* conf. Mart. *lib. 9. epigr. 30. & 12. ep. 57.* vid. Dempster. ad *Rosin. ant. lib. 2. cap. 8.* Ex quibus tum sua sponte sequitur quantum fidei mereatur Borcholt. ad *§. 5. J. de publ. jud.* affirmans Constantinum tum temporis, quo præfata lex scripta est, vera fide Christiana nondum imbutum fuisse, sicuti hoc habet ex Lamberto Danæo in *Dial. de Sortiar. c. 6.* cum quo facit Joannes Georgius Godelmannus de *mag. venef. & Lam. lib. I. cap. 8. n. 38. & lib. 2. cap. 6. n. 16.* Quasi vero Constitutio ista cum Christiana fide pugnaret, quasi verisimile sit Constantinum nono post veram fidei confessionem anno nondum

omnes

omnes paganismi maculas abstersisse, quis enim nescit eum jam anno 312. conversum, legem vero allegatam anno 312. promulgatam, ut vel saltem præsumtio pro Constantino militet, eum post tantum temporis tractum fidei orthodoxæ fundamenta jecisse, aut ad minimum scivisse, non posse Christianum hominem commercium aliquod cum diabolo salva scientia salvaque religione habere: vid. *Nov.7. in præf.* Quare nec cum illis Doctoribus facere possum, qui artes magicas primiter per *l. unic. C. de Thesaur.* abrogari contendunt, neque enim tempore Constantini ulla amplius permittebatur Lecano- Gastro - Catapro - Cristallo - vel Daetii-Ciomantia, quibus alias magiæ speciebus Assyrii, Chaldæi & Ægyptii delectabantur, cessabant quoque omnia superstitiosæ antiquitatis incantamenta, quorum aliquot formulæ reperiuntur apud Catonem: e. g. *motus, danat, daries, dardaries, astaries: haut, haut, haut, ista, pista, sista, damiabo, damaustra, haut, haut, haut, istagis, turgis, ardennabon, damaustra.* Ut oporteat Constantinum à Leone in *Nov. 65.* immerito vapulare.

*Thes. 3.*

Barbæ definitionem quod attinet, non

erit operæ pretium ut in eam anxius inquiramus, tum quod omnis definitio sit periculosa, ut Javolenus inquit in *l. 202. de R. J.* (quamvis hæc lex non de propria definitione intelligenda sit, sed de regulis catholicis, sive brocardicis, alias Burchardicis à Burchardo collectore Scholastico) tum quod hic nec utilis nec necessaria videatur: unde in Nug. Venal. *pag. 32.* quæritur, *quid est Barba? ℟. est pilus. Quid est pilus? ℟. est barba.* Si quis tamen definitionem dicat esse principium syllogismi, & ob id barbam quoque definiendam esse statuat, quemadmodum nos ita argumentamur inter alia contra illos qui Politicæ, tanquam entis collectivi definitionem rejiciunt, ille sciat Barbam esse *multitudinem pilorum in virorum mentis & genis existentium auctoritatis dignitatisque gratia.* De Etymologia, utpote cum simplex & purum sit verbum, non magis laborandum erit, ac de similibus ejusmodi verbis quam ob causam Hermannus Crusius *epigr. lib. 7. ep. 62.* barbam dicit esse syllabam duplicem *ba ba* cum litera *R* eam de se ipsa ænigmatice loquentem ob id hocce epigrammate inducens:

*Gloria magna Sophis quondam credebar, at una,*
*Qua miseram vetuit crescere Stoa fuit,*

*Si vero exorno, fas est gaudere capellas,*
*Sed Phœbi species absque decore foret.*
*Quin sanctum pignus sum multis, visa monebo*
*Ne cum femellis desipuisse velis.*
*Cauda caputque unum est, fortasse hinc nomina noſces,*
*Sed ventrem nobis ira canina dedit.*

Sunt tamen nonnulli qui vocem hanc *barba* derivare volunt à voce *baro*: quæ *virum* notat, quoniam ſoli viri barbati ſunt, vid. Iſid. *lib. 11. orig. c. 1.* Car. Deſid. de Royer. *flor. orat. in v. barba.* Quapropter barbam ſe ideo geſtare Diogenes dixit, ut ſe virum eſſe ſubinde recordaretur: Verum hæc derivatio eſt mihi pro nihilo: Tum quod vocabulum *barba* ſit antiquius nomine *baro* pro viro ſumto: Tum quod τὸ bar & baer hoc ſenſu magis ſit germanicum quam latinum, uti conſtat ex verbis Barintoug/ expeditio virorum, dienſtbar/ nützbar/ ſchandbar: Tum quod baro notet hominem ſtolidum & fungum: Hinc Cicer. 2. *de fin. c. 23. Hæc cum loqueris nos barones ſtupemus:* Unde & Græcis *baro* dicitur βάκηλος i. e. ſtultus ſive fatuus Potgieſ. *de Condit. & Stat. Serv. lib. 1. c. 3. §. 10.* Tum quod ipſum vocabulum *baro* incertæ adhuc ſit originis: Alii enim id derivant à Græco βαρὺς, i. e. *gravis*, vel βάρος, i. e. *pondus*, alii à Germani-

manico bahren / quod *filium* significat, alii à bar sive bahr / i. e. tüchtig / dapfer / alii ab Hebræorum בר bar *filius:* Dn. Thyll. in not ad STRYCK. *exam. jur. feud. c. 5. qu. 18.* Mozz. *de his qui feud. dar. poss. n. 17.* Alii à voce *pares*, eo quod Comitibus sint pares, alii ab Ægyptiorum Pharao: Christ. Becman. *notit. Dign. Diss. 10. c. 1. §. 3.* Alii à *Varon*, mutata V. in B. & abjecta N. vid. Dan. Otto. *de Jur. Publ. c. 18.* Alii jocose dicunt *baron* idem esse quod ohne Barschaft / alii à *barra*, i. e. *fortis*, *gravis*. Thomas Aquinas de *Rebusp. l. 3. c. 21.* Alii aliter vid. Temple *Staatk. Tract. p. 2. pag.* 523. utut sit, hoc interim certum est, vocabulum *barba* non posse derivari a voce *baro*, sed esse verbum per se subsistens, nudum, purum, simplex, & primitivum. Qualia sunt sexcenta alia.

*Th. 4.*

Dividimus autem Barbam (1) in *Propriam*, cujus definitionem in thesi præcedente dedimus, & *Impropriam*, qualis est quam Germani vocant ein Stützbärtlein / Belgæ, *een Knevel*, quam nonnulli in simulatam ferocitatis significationem alunt, ut sunt magniloqui isti thrasones, de quibus merito dicas quod Justinus de Xerxe Darii filio, ut sint *in periculis timidi*,

*nidi, ſicubi metus abeſt, inflati, lib. 2. cap. 10.* Non aliter ac Calliſthenes, de quo Ariſtoteles dicebat: *In oratione Calliſthenis eſt flumen verborum & gutta mentis.* vid. Strigel. *in lib. 16. Juſtin. p.m.* 192. Talis fuit ille apud Plautum Pyrgopolinices, ſi non re, ſaltem verbis, at illi re omnes, qui ad mandatum Archiepiſcopi Sigismundi myſtacem alere debebant, ſicut videre eſt apud Berckemej. Cur. *Antiq. p. m.* 294 cujus verba ita ſe habent. *Anno* 1564. führete der Ertz-Biſchof *Sigismundus* in Magdeburgiſchen die Gewohnheit ein/ daß man ſich die groſſen Bärte abſcheren/ und davor ein Knebelbart auffſetzen ließ: Das Jahr / da dieſe Bart-*Reformation* vor ſich gieng / war in dieſem *pentametro* enthalten:

*Longa sIgIsMVnDo barba IVbente perIt.*

Impropria etiam eſt barbæ ſignificatio, cum ea metaphoricum intellectum habet, & aliis quandoque rebus adſcribitur: uti apud Ovid. 1. *Met.* 266.

*Barba gravis nimbis.*

Plin. *Cum geminos tranſit ſol, criſtis & auribus, & unguibus gallinaceorum, ſi luna raſis barbis eorum.* Quo ſenſu & animalia barbas habent: ſed barbas, ut dixi, in plurali, non barbam: barba enim eſt ho-

 minum,

minum, barbæ contra quadrupedum: Virgil. 3. *Georg.* v. 311.

*Nec minus interea barbas incanaque menta*
*Cyniphii tondent hirci.*

Servius ad 2. *Æneid.* v. 277. & 3. *Æneid.*

*Stiriaque impexis induruit horrida barbis.*

Quantam vero hæc distinctio fidem mereatur, constat vel ex hocce Horatii 1. *Sat.* 8.

*Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ*
*Abdiderint furtim terris.*

Item ex illo Plinii *lib.* 28. *c.* 13. *rabiem hircorum, si mulceatur barba, mitigari.* Laurent. Valla *eleg. lib.* 6. *cap.* 14. Loquuntur quidem Poetæ nonnunquam in plurali, adscribentes animalibus non barbam, sed barbas, verum id faciunt nullam aliam ob causam, quam ut elisionem in carmine propter subsequentem vocalem alias metuendam eo ipso commode evitare queant. Transit hic figuratus & improprius barbæ sensus tandem etiam ad plantas & herbas: Hinc *barba caprina* germ. Waldgeißbart / ita dicta, quod flores habeat candidos barbæ instar dependentes: Hinc *barba Jovis*: hinc *barba Petræ*: græc. τραγοπώγον, alias *barbula hircina.* (2) In *Barbulam* & *Barbam*, hanc vocat Persius per excellentiam *Gaasape*, quod notat longam & prolixam barbam:

*Tu*

*Tu cum maxillis balanatum gausape pectas.*
Vid. Dn. Patris mei Dissertat. de *Pallio pag.* 15. Nec mirum quod in hac secunda divisione species retineat nomen sui generis, idem enim in jure nostro sæpe est obvium, veluti cum adoptio dividitur in adoptionem & arrogationem, crimen læsæ majestatis in perduellionem & læsæ majestatis in specie, novatio in delegationem & novationem: (3) Secundum nonnullorum Doctorum (*judicium cerebri sui nimis arroganter sequentium*, ut Cujacius de Hotomanno) sententiam in *nativam* & *Dativam*: Illa est quam a natura habemus, quæque revera ex mento nascitur & progerminat, estque ipsa propria, vera, naturalis & genuina cujuscunque viri barba: Hæc vero est, fictitia aliqua atque figurata barbæ species, affectata, simulata, temporalis, qualis est illa quam diabolus, uti supra thes. 3. demonstravimus, sibi nonnunquam assumit, quaque aliam atque aliam sæpe speciem mentiuntur copreæ histrioniamq; exercentes: Atque eodem est hæc divisio innixa fundamento, quo Doctores quidam actiones dividunt in nativas & dativas, quam uti ego Gallica hyeme frigidiorem credo, ita nec in barba locum

habere, sed si quam speciem præ se ferat, tum ad barbam potius, quam ad actiones referri posse contendo: barba enim dativa est adhuc ens aliquod existens, potestque vocari Quasi Barba, barba assumta, figurata, fictitia, temporalis, at actio dativa est plane non ens, chimæra, merum figmentum, sive ut inquit Imperator in *l. un. C. de nud. jur. Quir. toll.* subtilitatis ludibrium, quod si cum natatili beta, galla è quercu, & sutorio atramento in mortario contuderis, deinde aspersis copri sexunciis miscueris in malagma, præsentaneum est remedium adversus caninam scabiem & porcorum prurigi-nem: Quid enim? qualis hæc est actio, quæ neque ex contractu neque ex delicto, tam vero quam quasi oritur, immo quæ nullam, ut ajunt, præexistentem materiam habet, contra *§. ult. J. de obl. §. 1. J. de act. l. 91. §. 3. de V. O. Nov. 18. c. 5.* Quare illam saniores Jurisconsulti ut cerebrinam merito rejiciunt: Dn. Parens *Admon. ff. part. 7. §. 288.* Hillig. *ad Donell. l. 19. c. 2. lit. A.* Bockelm. *de action. p. 1. c. 3. §. 3.* Sande *de act. cess. c. 8. n. 13.* Quamvis enim Prætor dicat: *actionem dabo, non dabo*, inde tamen non sequitur actionem dari sine præexistente causa vel materia,

utut

utut Melchisedecus & Adamus hoc sensu dicantur homines dativi, cæteri nativi, D. 1. Parens de *Jur. Virg.* §. 33. Prætor enim & tum dicit *actionem dabo*, quando actio jure civili prodita est, aut ex jure gentium obligatio descendit. *l. 1. ff. depos. l. 1. ff. commod. l. 1. ff. de serv. corr. l. 1. ff. de vi & vi arm.* Ita ut nasci & dari in jure sumantur promiscue *l. 7. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. neg gest.* Et quis adeo hospes est, ut nesciat ista Prætoris verba intelligenda esse de formula, quam super actione jam nata dabat, i.e. præscribebat: Missa igitur hac divisione substituamus aliam, dividi enim debet (4) in *nigram*, *rubram*, & *albam*, quæ tum rursus est vel *alba in specie* vel *cana*: Martial. *l. 4. epigr. 36.*

*Cana est barba tibi, nigra est coma, tingere barbam*
*Non potes, hac causa est, sed potes ohe comam.*

Virgil.

*Candidior postquam tondenti barba cadebat.*

Ad exemplum illorum qui capillos eodem modo dispescunt. Ovid. *amor. lib. 1. eleg. 5.*

*Candida dividua colla tegente coma.*

*Lib. 11. eleg. 4.*

*Seu pendent nivea pulli cervice capilli.*

Martial. *lib. 8. epigr. 64.*

*Sit moror coma nigrior caduco.*

Pater fidelium Abrahamus canam dici-

tur habuisse barbam, & ad ejus exemplum, utpote quod in omnibus sequi voluit, Muhammedes. Sulpic. Sever. *sacr. hist. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 3. & ibi *Comment. accurante Hornio.* Nec videtur hæc divisio de lana caprina, nisi fortasse illis, qui ipsi Physiognomiæ, à viris, cui aceti satis in pectore residet, approbatæ, vim fronte tuberosissima gestiant inferre: vid. Alb. Gentil. *ad l.* 2. *C. de mal. & math.* Excell. Dn. Thyll. *de Qual. in Jud. p.* 1. *th.* 10. *in f.* Nigra siquidem barba solet physiognomonibus signum esse calidi firmique corporis, alba vero languidi, imbecillis, & flaccidi, diversitas enim pilorum diversitatem quoque corporis ostendit. Arist. *Physiogn. c.* 2. Hinc Poeta.

*Pectoris indicium licet horrida barba severi*
*Prabeat.*

*Quæ venustior forma esse potest* (inquit Hotoman) *quàm ea quæ in natura nobiscum ingeneratur crescit, & quæ in se habet notam quandam roboris ac virium? vix enim fiet, si medicis fides adhibenda est, ut is fortis corpore non sit, qui pilosus est: cum hujusmodi, ut ita dicam corporis partes ex calido & humido proveniant: Neque parum confert hujusmodi habitus ad hominis observandos mores, & dignoscendum quidquid interi-*

*interius in animo reconditum habet:* Similiter Joh. Buxtorf. in Florileg. Hebr. יְלָדְקָו קוֹדְטְמָו עֲבָדְקָו מְנְמָו *Homo rara barba, callidus est, densa barba, stultus:* Quorsum respicit Jean Rioland *au Mannuel anatomique p.m. 759.* dum inquit: *Ce qui est confirmé par Hippocrate au livre des articulations, ou il dit, que la barbe & le poil de partie honteuses croissent plus tard à ceus qui ont l' espine bossuë ou dessous du diaphragme, & qu' ils sont moins accomplis, & moins feconds que ceus, qui ont la bosse en la partie superieure.* Eadem est sententia di Monsigo Giovanni Ingegneri Vescouo di Capo d'Istria *in Fisconom. Natural.* dum ait: *Perche la barba, come s' è detto viene da molto calore dicruore, il quale percuote à la testa, e si riflette al mento, & nella stessa riflessione conduce seco le fumosità del capo, de le quali si generano i peli: è quando il calore è manchevole negli huomini, egli viene à fare poca reflessione, & in consequenza poca barba: La qual è segno, che l' temperamento de gli humori, in comparatione de la guista temperatura, inclini al freddo, è che tali huomini declinino da lo stato virile à la complessione de le femine, è consequentemente siano d' animo molle, & effeminato. E perche le fredde complessioni gene-*

*generano molti flati titilando per li vasi seminali eccitano molta libidine, pero gli huomini di tale temperamento sono molto lussuriosi:* Verum

*Regula cum non sit, quam non exceptio tangat,*
*Hac quoque gaudebit regula jure suo.*

sicuti nec illud ex oraculo Apollinis Pythii editum est, quod nonnulli in rubram barbam tudiculant, quasi sensu populari hominem notet politicum, qui altera manu fert lapidem, altera panem ostentat, forsan ab Apostolo Juda, quem rubram barbam habuisse (quod tamen negat P. Abraham à S. Clara *in tr.* Judas der Ertz-schelm / neque enim *Iscarioth* notat ist gar roth) vulgus cantat, vel à Judæis Ænobarbis: vid. M. Zach. Goez. *excerpt. specim. 8. part. 2. de ignom. appell.* voc. Rohtbart. unde in proverbium abiit:

Rohtbart / nie gut ward.
Rohtbart / Schelmen-Art.

Vid. Math. *th. hist. in Frid. Barbaross.* Quorsum collimat illud, *barbæ tenus sapientes*, ad denotandam Sophistarum falsitatem in philosophando, instituendo, & docendo, unde Herodes Atticus: *Video barbam, Philosophum non video*, quia Philosophi barbas ad graviditatem promissas alebant, ita ut præter illam & pallium nihil.

nihil. Feltman. *de prom. abſ. c. 3.* Hinc Perſius *Sat. 4. v. 1.*

*barbatum hac crede magiſtrum*
*Dicere ſorbitio tollit quem dira cicuta.*

Juvenal. *Sat. 14. v. 12.*

*Barbatos licet admoveas mille inde magiſtros.*

Quapropter Arnobius *lib. 6. adv. gent.* barbam uberem *philoſophiæ denſitatis barbam* vocat. *Quid Æſculapii gravitatem, inquit, ab Dionyſio eſſe commemorem riſam? quem cum barba ſpoliaret ampliſſima, boni ponderis & philoſophiæ denſitatis, facinus dicebat eſſe indignum, ex Apolline procreatum, patre levi & glabro, ſimillimoque impuberi, ita barbatum filium fingi, ut in ancipiti relinquatur, uter eorum pater ſit, uter filius, imo an ſint generis & cognationis unius.* Conf. Gothofred. *ad l. 8. C. de Profeſſ.* ibi: *Philoſophi habitus, ſupercilium, pallium, barba:* Conf. Cruſius *lib. 7. epigr.* 18. Unde Demonax cuidam percontanti, quam Philoſophiæ ſectam potiſſimum amplecteretur? quis inquit tibi indicavit me Philoſophum? moxque vehementer ſecum ridens, abiit: quid rideret, interrogatus reſpondit? nonne hoc ridiculum ſatis, ſi tu me ex barba philoſophum judicas, qui ipſe barbam non habes? Verum tales Politicos vocat Phædrus *malos*, nam

nam *habent*, inquit *l.* 1. *fab.* 19. *insidias hominis blanditiæ mali:* Qui non immerito comparantur cum meretricibus, quæ dulci cantu & blanditiis amorem demulcent, ſed intus habent virus animæ & venenum, inſtar locuſtæ quæ ſegetem arrodit, quapropter Thais à Pamphilo appellatur *fundi noſtri calamitas*, reſpiciente ad Græcum καλαμαία, Donat. *ad Terent. Eunuch. act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 34. Poſſes eos non inſulſe Pardis (vel veſpertilionibus, quæ incertæ naturæ ſunt inter avem & murem, unde Varro: *Factus ſum Veſpertilio, neque in manibus plane, neque in volucribus ſum.* Bonifac. *de furt.* §. *furtum n.* 74.) naturæ ſagacitate & prudentia pollentibus aſſimulare, ſolent enim frondibus arborum ſe occultare, & odorem jucundiſſimum emittere, quo dorcades, capras, hinnulos, ſimias, ſimileſque beſtias ad ſe trahant, capiantque, Ariſtot. *lib.* 8. *hiſt. an. c.* 6. Plin. *l.* 8. *c.* 17. Niſi malis eos exæquare doloſæ vulpi, de qua Phædrus ſequentem fabulam, *lib.* 1. *fab.* 13.

*Cum de feneſtra corvus raptum caſeum*
*Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore*
*Hunc vidit vulpes, dehinc ſic occipit loqui,*
*O qui tuarum, corve pennarum eſt nitor,*
*Quantum decoris corpore & vultu geris,*
*Si vocem haberes, nulla prior ales foret:*

At

*At ille ſtultus dum vult vocem oſtendere,*
*Emiſit ore caſeum, quem celeriter*
*Doloſa vulpes avidis rapuit dentibus,*
*Tum demum ingemuit corvi deceptus ſtupor.*

Neſcio numne Hollandi eo reſpexerint, numismate ann. 1603. in Hiſpanos Oſtendam obſidione cingentes, & Hollandis nihilominus adulantes, excuſo: prima enim facies ejus referebat gallum ſedentem in ramo arboris, quem ſub arbore latitans ex adverſo contemplabatur vulpes, cum ſubſcriptione: ALIUD IN LINGUA, ALIUD IN PECTORE. vid. der geöffnete Ritter-Platz. *lib.* 1. *p.* 177. §. 8.

*Th.* 5.

Aſt perdit aliquando officium ſuum Catonis regula. *l.* 1. *ff. de reg. Cat.* Ita nec ſtat hæc philoſophia Marpeſiæ cautis inſtar immobilis: alias ſequeretur Germanorum (ut prætermittam Gallos, Sicambros, Britannos, Suevos, Gelonos, Sarmatas, Getas, de quibus Franc. Junius *de Pict. vet. lib.* 3. *c.* 9. § 6.) maximam antiquorum partem ſummos falſitatis ſacerdotes fuiſſe, multos Thyrſigeros, paucos vero Bacchos, cum flavi atque rufi coloris pilas communiter habuerint, teſte Tacito in *Vit. Agr. Rutilæ comæ, & magni artus Germanicam originem aſſeverant.*

Juve-

Juvenali:

*Cœrula quis stipuit Germani lumina flavam Cæsariem.*

Vid. Strauch. *Differt. ad Tacit. Germ. c. 6.* §. 3. Neque de Romanis aliud judicium ferendum esset, utpote cum & illi in summis habuerint hunc deliciis colorem, & ab eo se nominari gavisi fuerint, e. g. SP. Latius Ruffus. Serg. Sulpitius Ruffus. Cn. Domitius Ruffus. Q. Minutius Ruffus. P. Rutilius Ruffus. Q. Pompejus Ruffus. Livinius Rufinus, Junius Rufinus, Titius Rufinus: de quibus vid. Excell. Dn. Cornel. van Eck. *Compend. Pand. lib.* 1. *tit.* 2. §. 39. Quam ob causam nonnulli existimarunt & ipsum Imperatorem Justinianum ejusdem coloris capillos habuisse, pro nomine *Flavius* (nisi hoc dixeris derivari à Germanico *flade, flach*, *Flasche*, aut Belgico *flau.* hon. Dn. Parens *in Armin. pag.* 62.) quod in serie titulorum in Procemio Institutionum conspicitur, *Flavus* legentes. Polman. *racem. ad all. proœm. n.* 12. At quis vellet Germanis, ut alios tacitos relinquam, notam ob id famosam inurere, de quibus tamen Tacitus *l.* 13. *ann. c* 54. & *de mor. Germ. c.* 24. testatur: *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos fuisse:* Digni ut

ut cum illis in tenebris miſcemus. Eraſm. *parœmiogr. chil.* 1. *cent.* 8. *c.* 32. Gryphiand. *de Weichbild. Sax. c.* 24. *n.* 2. Adeo, ut cum omnia læſiſſent, nihilque pecuniæ ſupereſſet, in luſu extremo de libertate contenderent, victusque in alea, ne fidem falleret, ſervitium pati & addici victori velut mancipium pateretur. Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib.* 3. *c.* 21. Quam veram & non fucatam fidei ſanctitatem vel ſolo jure hoſpitii, quod tenaciter colebant, conteſtabantur, de quo Tacit. *de mor. Germ.* ſequentia. *Quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur: Pro fortuna quisque apparatis epulis excipit: cum defecere, qui modo hoſpes fuerat, monſtratur hoſpiti & comes, proximam domum non invitati adeunt. Nec intereſt, pari humanitate excipiuntur, notum ignotumque, quantum ad jus hoſpitii, nemo diſcernit.* Unde Bodinus, qui alias gentis hujus obtrectator eſt infenſus, ex veritatis conſcientia ebuccinare debuit: *Germanos humanitate Aſiaticis, militari diſciplina Romanis, religione Hebræis, philoſophia Græcis, geometria Ægyptiis, arithmetica Phœnicibus, aſtrologia Chaldæis, opificiorum varietate populis omnibus ſuperiores videri.* Reincking. *de reg. ſec. & eccleſ. l.* 1. *cl.* 2. *c.* 7. *n.* 43. One

autem qualem nunc capitis diminutionem passa est hæc majorum nostrorum hospitalitas! tribum Benjamin restauratam crederes. vid. *Judic. c. 19. v. 15. & seqq.* In Mesopotamia Siriæ & in Istrunte ajunt serpentes quosdam exiguos nasci, qui indigenas non lædant, advenas vero vehementer infestent: Aristot. *de mirab. auscult.* Quemadmodum in Cornubia omnes peregrini, quamprimum ibi venerint, à pediculis vehementer corripiuntur, infestantur, vexantur: Berckem. Cur. *ant. p. 1. pag. 82.* Itane se res etiam cum maxime habet? Sane

*Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem*
*Oceanum, quoties aliquid de moribus audent*
*Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt.*
*Indocti primum: quanquam plena omnia gypso*
*Chrysippi invenias: nam perfectissimus horum est,*
*Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,*
*Et jubet archetypas Pluteum servare Cleanthas.*
*Fronti nulla fides: Quis enim non ficus abundat*
*Tristibus obscœnis? Castigas turpia cum sis*
*Inter Socraticos notissima fossa Cinædos.*

Juvenal. *Sat. 2. in pr.* Verum quod supra de Germanis dixi, illud etiam ad Frisios extendit Ubbo Emmius 2. *Rer. Fris. in f.* de quibus nota, quod, *verba pro literis & sigillo, dextram pro juramento habuerint.* Dn. Parens in *Admonit. ad ff. part. 6. §. 2.*

Idem

Idem de Arabibus & Persis affirmat Alex. ab Alexandr. *lib.5. gen. dier. c.10.* Nisi quod Amasis Persarum dux labefactasse fidem dicatur: Scotis quoque simile fidei encomium tribuitur: Vid. *Voyag. Historiq. de l' Europe tom. 4. par Mr. B. F. pag* 142. *Scavoir les Ecossois gardent inviolablement la parole, qu' ils ont une fois donnée, mesme à leurs ennemis.* Omni igitur fundamento caret quod ex Barbomantia, potius Narromantia contra viros crine rubros communiter colligunt: Denn wer ist gewesst der sieghafte Kayser *Fridericus Barbarossa*, als eben ein Rohtbart? wer ist gewesst *Hanquinus Ruffus* ein bester König aus Gotten / als ebenfals ein Rohtbart? *Gaudentius* ein heiliger Bischoff / *Gandulphus* ein heiliger Bischoff / *Eligius* ein heiliger Bischoff / *Dominius* ein heiliger Martyrer / *Maurinus* ein heiliger Martyrer / *Savinianus* ein heiliger Martyrer / haben alle ein rohten Bart / und gute Art gehabt: Verba sunt Abrahami à S. Clara *in tract.* Judas der Ertzschelm *p. 75.* quæ in gratiam illorum qui rubram barbam habent hisce annectere volui.

*Thes. 6.*

Quis Cretes pelagus nescire credit? quis dubitat adhuc de barbæ majestate?

attamen non inde concludendum, quasi juvenis adhuc imberbis,

*cui levia fulgent*
*Ora, nec amplexus aspera barba terit,*

Tibull. *lib.* 1. *el.* 9. nullius æstimati fuerit assis, Romani habebant enim in summo pueros honore, Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 47.

*Maxima debetur puero reverentia.*

Immo non tantum in honore, sed quod magis est, eorum maxime cupidissimi, suavius ducentes cum pueris, quam cum fœminis vesticontubernium facere, eosque libidinose exosculari. Martial. *lib.* 2. *epigr.* 10.

*Basia dimidio quæ das mihi Posthume labro,*
*Laude licet demas hinc quoque dimidium.*

Et *lib.* 2. *epigr.* 12.

*Esse quid hoc dicam quod olent tua basia myrrham,*
*Quodque tibi est nunquam non alienus odor.*
*Hoc mihi suspectum est, quod oles bene Posthume semper,*
*Posthume non bene olet, qui bene semper olet.*

Quales præposteræ conjunctiones hodie vocari solent Welsche Hochzeiten. Vid. Heidfeld. *Sphinx. cap.* 17. Erant autem hæc muliebris patientiæ scorta ut plurimum pueri, & quidem imberbes, quos eapropter, ut scil. manerent imberbes, eunuchabant, quia eunuchi ob defectum caloris, quo cæteroqui maxillares illæ ari-

ſtæ producuntur, raro pilabant, ſicuti id multis oſtendit Levinus Lemnius *de mirac. occult. nat. lib.4 c.17.* & noviter Dn. Otto *in Diſſert. Phil. Jurid. ad l.27.§.28.ff. ad L. A.§.13.* Conf. Lucan. *Phars. lib.10. ỳ. Vix ulla fuſcante.* Hinc Pincier. *in Ot. Marp. pag.182.*

*Barbas caſtratis quoque proveniſſe refertur*
*Prolixas, ut hoc rarum eſt, ita cætera rara*
*Quæ prius expoſito fiunt contraria mori.*

Interim credo hanc eſſe rationem, ob quam Propheta (licet eum Hebræi non referant ad Prophetas, eo quod vitam egerit Satrapicam) Daniel cum tribus ſuis ſociis Anania alias *Sidrach* quaſi *Miſſilis*, Miſaele, alias *Miſach*, quaſi *menſor agrorum* & Azaria alias *Aldenago*, quaſi *à poculis aut cubiculo*, paſſim in vetuſtiſſimis monumentis imberbis pingitur, quia multi, inter quos Joſephus, Origines, Zonaras, exiſtimarunt eos fuiſſe caſtratos, quod tamen multi iterum negant, per Eunuchum pro ſenſu Orientis quemlibet Aulicum intelligentes, ſicuti Potiphar, quem Sulpicius Severus curatorem vocat regium, modo Εὐνοῦχος modo ἀρχιμάγειρος dicitur: Sane nemo diffitetur vocem *Eunuchus*, in tali quandoque uſurpari ſenſu, quippe & illi audiunt Eunu-

 chi,

chi, qui licet castrati non sunt, se tamen totos Dei regno manciparunt tanquam aulici cœlestes, i. e. spirituales. Matth. *cap.* 19. *v.* 12. Quantum autem & quam horrendum crimen sit, barbara ista Venus, nemo, qui mentis suæ aciem recte intendit, non perspicit, adeo ut Hebræi nullam aliam ob causam Potiphari virilia fingant exaruisse, quam quod Josephum in turpe ministerium emerit: Scelus profecto, quod non proficit scire, quod fœnum in cornu habet, ubi vir nubit, ubi Venus mutatur in alteram formam, ubi amor quæritur, nec videtur. *l.* 31. *C. ad L. Jul. de adult.* ad Thrasybuli *legem oblivionis* referendum. Corn. Nep. *in Thrasyb. c.* 3. At quam vehementi pruritu Romani in crimen istud proclives fuerint, id facile est judicare, cum multo satius duxerint cum pusione quodam dividere, quam cum fœmina rem habere, unde Juvenalis *Sat.* 5. *v.* 21.

*uxorem Posthume ducis?*
*Dic qua Tisiphone? quibus exagitare colubris?*
*Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam?*
*Cum pateant altæ caligantesque fenestræ?*
*Cum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons?*
*Aut, si de multis nullus placet exitus, illud*
*Nonne putas melius quod tecum Pusio dormit?*
*Pusio qui noctu non litigat, exigit à Te*

*Nulla*

*Nulla jacens illic munuscula, nec quæritur quod*
*Et lateri parcas, nec quantum jussit anheles.*

Eadem etiam depetigine infecti fuerunt Græci pariter ac Persæ, qui, cum alias multis egregiis facinoribus inclaruerint, industria potentes, & manu strenui, ab hacce tamen mollitie, eaque impudica salacitate haudquaquam abstinuerunt, mirum ut sit qui gravis, (quo encomio Persæ insigniuntur ab Horatio *lib. 1. od. 2.*) possit animus à semita sanæ rationis adeo deviare, inque tantam perversitatem præcipitari, qua de re non immerito cani tallegatus Poeta Venusinus:

*Persicos odi puer apparatus.*

Tu dic, *& Græcos odi puer apparatus:* Quid enim? *Laudi in Græcia ducitur adolescentulis quamplurimos habere amatores:* Corn. Nep. *in præfat.* Verum si id iis laudi dicitur, quænam igitur causa est, cur Pausanias tam ægre tulerit stuprum quod ab Attalo passus fuerat? si talis luxuriosa congressio illis non turpis fuit, quo igitur jure dicit eam Justinus *indignitatem & fœditatem: lib. 9. cap. 5.* scilicet, quia Attalus stuprum istud Pausaniæ intulerat invitissimo, & quidem, ut ait Justinus, per injuriam, neque eum suæ tantum, verum & convivarum libidini, velut

 scor-

scortum vile subjecerat, ludibriumque omnium inter æquales reddiderat. Damnat adeo non ipsum stuprum, utpote Græcis non turpe habitum, sed modum saltem quo illud Attalus patraverat, nimirum injuriam istam, & violentiam, neque enim fas erat, pueros ad id invitos constringere, qui si sponte sequebantur, multosque habebant amatores, factum committebant, non modo honestum, sed & laude dignum: & quid mirum? cum & ipse Jupiter in istiusmodi deliciis puerum habuerit Ganymedem. Pomey *Panth. Myth. in facin. Jov.* Quem sicuti multi viri principes in eo sunt secuti, inter quos maxime notabiles Alexander ardens Bagoam Curt. *lib. 6. c. 3.* Argilium Pausanias Cor. Nep. *in Pausan. c. 4.* Ligdum Drusus, Sporum Nero. Alciat. *ad l. 128. de V. S.* Ita non potuit non esse, quin tandem & alii ad horum exempla sese componerent: Laudandus vero est in hac parte Socrates, de quo mentionem facit Plato in Symposio: *Se pernoctasse cum Socrate in eodem lectulo, neque aliter surrexisse, ac filius à parente debuerit.* Ita probra quædam sunt natura turpia, quædam civiliter & quasi more civitatis, & quædam civiliter sunt admissa,

quæ

quæ tamen natura ſunt turpia, quemadmodum Spartanis ſenibus non turpe ducebatur, ſi uxoribus ſatisfacerent per juvenes admiſſarios. Pufendorf. *de jur. nat. lib. 8. c. 1. §. 3.* Uti apud Gallos adulterium habebatur pro induſtria. Steph. Forcat. *Necyom. dial. 29. n. 9.* Eratque apud Ægyptios ſumma mentiendi licentia: Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib. 6. c. 10.* Nullum apud Sinenſes majus ſcelus, quam mori ſine liberis: Martinus Martinius *in Sin. Hiſt. lib. 6. Imp. 1.* Quid dicam de oſculo? nonne ſecta noſtrorum temporum illud conſiderat ut ſignum ſingularis amicitiæ & amoris? nonne conciliat hoc invicem gratiam & ſtudia? nonne hoc viam pandit ad mutuam fidentiam & affectionem? nonne operatur, quod ille apud Gellium amator ludit:

*Dum ſemihulco ſuavio*
*Meum puellum ſuavior,*
*Dulcemque florem ſpiritus*
*Duco ex aperto tramite,*
*Anima tunc ægra & ſaucia*
*Cucurrit ad labia mihi.*

Conf. Mart. Kemp. *Diſſ. hiſt. phil. de oſculo §. 19.* Joh. Chriſtoph. Becman. *not. Dign. Diſſ. 6. c. 2. n. 4.* Unde Xenophon in Oratione de laudibus Agiſilai, *patrium morem Perſis fuiſſe dicit eos oſculari, quos honoribus*

*noribus prosequi vellent.* Nihilominus tamen memoriæ proditum est Hispanos à basiationibus quam maxime abhorrere: Joh. a Ripa *in Rubr. extr. de Jud.n.23.* Quid dicam de furto? nemo non animadvertit quam infame, quam turpe illud sit: Erant tamen furta nec manifesta ex lege Lycurgi impunita, &, quo ingenia magis acuerentur, expresse permissa: vid. Aulus (ita enim scribendum inquit Bachov. *vol. 1. Disp. 5. th. 9. lit. A.* Contra Lipsium & Phil. Carol. *animadv. ad ejus lib. 1. noct. att.* Conf. Joh. Alb. Fabric. *biblioth. lat. lib. 3. c. 1. lit. a.*) Gellius *lib. 11. noct. Att. c. ult.* Qua moti ratione Ægyptii non modo omnia in genere furta tolerarunt, verum etiam, quod mireris, Principem aliquem furum constituerunt, apud quem nomina sua profitebantur, qui trium literarum hominum Collegio inseri gestiebant. Joan. Nicolai de *Synedr. Ægypt. leg. 7. n. 4.* Feltman. *Specil. Inst. ad §. 11. J. de jur. nat.* Quæ licentia eo usque tandem accrevit, ut Rex Rhampsinitus ei, qui thesauros regios vaferrime expilaverat, & bis terque captus evaserat, tanquam homini acutissimo, atque e cunctis mortalibus plurimum valenti, filiam suam in matrimonium collocaverit. Bonifac. *lud. hist.*

*lib.*

*lib. 6. cap.* 11. Germanos quoque nostros latrocinia permisisse juvenibus extra civitatem constat ex Cæsar. *lib. 6.* Pomp. Mela *l. 3. c. 3.* Vinn. *ad* §. 1. *J. de obl. quæ ex del. nasc.* Idem de Cimbris refert Alex. ab Alex. *l. 4. c.* 13. Et de quibusdam Orientalibus Aurelius Gislen. von Busbeck in tractatu cui titulus, Sendschreiben der Türckischen Bottschaft pag. 350. hisce verbis: Nur in einem einigen erwiesen sie ihre Scharffsinnigkeit/ nemlich im Stehlen/ und hält man die Geschwindigkeit / den Diebstal zu vollbringen/ in grossen Ehren: Wird auch derjenige / so meisterlich damit umzugehen weiß / hochgeachtet: Wer aber dieses nicht kan / als ein Klotz und Stock verachtet/ ja nicht würdig geschätzet / daß ihn die Sonn bescheinen sol / so gar daß sie einen solchen Bruder oder Sohn / als der gantz aus der Art geschlagen / und an deme alle Hoffnung verlohren / den frembden Kauffleuten verschencken / oder gegen geringe Waar austauschen / und ihn also in die weite Welt verschicken.

*Th. 7.*

Visa jam satis abundanter barbæ dignitate, inspectaque ejus cum definitione tum divisione, expedit progredi ad illa quæ in hac nostra materia de Barba sibi porro

porro locum vindicant, ubi tum ſtatim ſe ſiſtit quæſtio, num ad Imperatoriam dignitatem aliquis evehi poſſit, qui plane adhuc imberbis eſt? Reſponde tu adhibita diſtinctione: aut enim quæritur de imberbi in genere tali, qualis etiam eſt fœmina: aut de imberbi in ſpecie, ſcil. maſculo, cui depiles genæ adhuc levi ſplendicant pueritia: Priori caſu nega, poſteriori affirma: Quantum enim ad priorem attinet, ſciendum eſt, quod licet fœminæ ſint majeſtatis cæteroqui capaces, atque in aliis regnis ad ſceptra admittantur, tamen in Imperio Romano-Germanico ad ſummum iſtud culmen haudquaquam pervenire poſſint, neque enim cum majeſtate Imperii, & genio tot glorioſorum Principum convenire videbatur muliebre regimen, cum Romani eas ne ullum quidem virile officium ſuſcipere paſſi ſint. *l. 2. ff. de R. J. l. 12. §. 2. de judic. l. 14. §. 1. de ædil. edict.* Vitriar. *de jur. publ. lib. 1. tit. 5. in pr.* induxit hanc uſitatam conſuetudinem in Germaniam famoſa illa Francorum Lex Salica, cujus famoſius caput cluit, *In terra Salica mulieres ne ſuccedant*: Vid. Dn. Patris *Notæ ad Feltman. de feud. p. 9.* Unde Gallorum illud, *lilia non nent*: Dn. W. J. Pagenſtech.

ad

*ad l. 2. de R. J. n. 4.* Cujus Legis Salicæ primum auctorem dicunt fuisse Pharamundum, qui cum ascitis sapientissimis & jurisconsultissimis Francorum Galloromque, speciatim vero suis Consiliariis Wisogasto (ein weiser Gast) Losogasto (ein loser Gast) Husogasto (ein Huß-Gast) & Sologaito sive Slogasto (i. e. *rerum proletariarum curioso*) Ann. 424. eam condidit Art. DÜCK. *de us. & auct. Jur. Civ. lib. 2. c. 5. n. 24.* Posteaque capitularibus suis Carolus Magnus auxit: Unde vero hæc lex dicta sit Salica, de eo est gravis inter Doctores altercatio: mihi placuit semper illorum conjectura, qui ejus etymologiam deducunt à voce *Saal*, quæ notat palatium sive aulam, ita ut Lex Salica notet Legem aulicam: Gryphiand. *de Weichb. Saxon. cap. 40. n. 5.* Dn. Coccej. *in jur. publ. cap. 3. Sect. 6. n. 91.* Unde adhuc hodie vocatur Oldensala, hinc Benthemii Sala: vid. hon. Dn. Patris *not. Feud. ad Feltm. n. 9.* Hinc libri Censuales Saal-Bücher / de quibus Wehner. *in Obs. pract.* voc. Saal-Buch. sequentia: *Bona censualia & census, hoc est tributum, sunt inscripti*, Saal-Bücher / *vocantur à Sala, hoc est aula, seu basilica, quod in eo prædia, quæ aulæ regiæ censum præstant, sint inscripta, hinc leges* Salicæ,

*Salicæ, quæ de jure succedendi in Sala, hoc est, regno seu basilica disponunt, fœminasque excludunt*. Conf. Dn. Meinders *de Jurisd. Colon. Dissert. 2. pag. 105.* Hinc Saal-Recht cui opponitur Land-Recht / item Saal-Gut / i. e. Hof-Gut / Cammer-Gut: Sala-Statt / i. e. Civitas ubi aula est, da die Hofhaltung ist: Limn. *not. Regn. Franc. lib. 1. c. 8.* Forte dimanavit hinc, ut acroasis, sive principale membrum domus adhuc hodie vocetur *Sale, een Zaal.* Quidam contra neque à Sala, neque à Saliis (quos Francos fuisse constat, ab aliis *Salici* dictos, vel *Salingi*, à Sala, Germaniæ flumine. Dn. Coccej. *all. n. 91.*) Sed ab ipsius auctoris Pharamundi Salici nomine nuncupatam volunt, sicuti ex Ferrar. Montan. *in l. 2. pr. col. 4. de R. J.* refert Reincking. *de reg. sec. & eccles. l. 2. cl. 2. c. 6. n. 9.* Alii a Marte Salio, alii à Sacerdotibus Saliis, alii a civitate Salicha. Stangefol *ann. Westph. in A. C. 421.* Ita sese habet res circa Imperium nostrum Romano-Germanicum, ad Imperii supremam dignitatem solos mares ex inveterata consuetudine admittens: Quod sicuti ex jure naturæ haud immediate fluit: vid. *Genes. cap. 1. v. 26. & 27.* Sed cum præsente statu naturali aliquatenus saltem convenit,

nit, licet hæc duo inter se videatur confundere Dn. Cramerus *in concluſ. jur. gent. 72.* Ita nec mirum, quod tam Debora populum Judaicum per quadraginta annos judicaverit *Jud. cap. 4.* vid. quæ dixi *de Bono Viro c. 1. §. 7.* Quam quod in aliis etiam regnis nonnunquam illud obtineat:

*Rex erat Eliſabeth, nunc eſt Regina Jacobus.*

De Hungaria teſtis eſt nummus, quem Maria Ludovici Hungariæ Regis filia cudi fecit, cum inſcriptione MARIA REX HUNGARIÆ: Idem receptum eſt in Portugallia, ſicuti erudimur exemplo filiæ unicæ Regis A. C. 1674. die 14. Febr. Portugallici Regni heredis proclamatæ: Idem obtinet in Suecia, uti docent verba Receſſus Comitiorum Holmienſium de ann. 1624. d. 4. Decembr. ratione Chriſtinæ poſt mortem parentis Guſtavi Adolphi regimen adeptæ. Pfeffing. *ad Vitriar. all. loc. lit. 6.* Quid Angli hac in parte obſervent, illud vel ex ſolo Reginæ Annæ recenter defunctæ exemplo conſtat, cujus locum ex ſingulari gratia atque providentia Dei cum maxime jure ſuo tenet Potentiſſimus idemque optimus Rex Georgius, verus ille Angliæ Patronus, cui Deus Regum regnorum Præſes &

cuſtos

custos vitam ac felicitatem! Sed quid dicendum erit de dignitate Pontificali? ad eam neminem nisi marem admitti posse, nec debere ratio est in confesso: nec obstat exemplum Johannæ Papissæ (proprio nomine dictæ *Gilberta*, natæ ex matre scorto & patre sacrifico Moguntiæ, Math. *th. hist. in Lothar. 1. p. 498.*) utpote non legitime sed facto & quidem dolo malo hancce dignitatem consecutæ, prout videre est in Chronica **von der Zilliger Stadt von Cöllen** *fol.* 110 *pag.* 1. typis excusa Coloniæ anno 1499. sub rubro: **Wie ein Wyff Pays watt tho Rome: int wiert gemeinlich genoempt Pays Jutte.** Cujus integra verba recenset Dn. Patruus meus W. J. Pagenstecher *in Prælect. ad l. 2. de R. J. n. 8.* Quam historiam se etiam in antiquis Chronicis Gallicis legisse affirmat Reincking *de Regim. sec. & eccles. l. 3. cl. 2. c. 3. n.* 10. hinc sequens distichon:

*Papa, Pater Patriæ Papissæ pandito partum,*
*Pro Petri porta peperit Papissa Papellum.*

*Historiam* dixi: Nonne præstat *fabulam* vocare? Ita sane ajunt Baronius, Bellarminus, Allatius, Gretserus, Blondel, aliique, quorum tamen argumenta ne quidem speciem, multo minus cerebrum habere

habere prægnantibus argumentis evincunt Fridericus Spanhemius in *tract. Papa Fœmina*, ann. 1691. edito, Samuel Maresius *in tract. de Johanna Papissa restituta:* Conf. Joh. Groningii Historie der heutigen Religionen *p.m.47.* commendatam sibi quoque habeat curiosus lector elegantem Dissertationem Dn. Johannis Gerhardi Meuschen, sub tit. Freundliches Sendschreiben an P. Hend. Cohlendahl. Ubi ex ipsis Pontificiis auctoribus dissentientes refutat, & convincit, idem conatus est Johannes Heidfeldius *in Sphing. Theol. Phil. c. 17. p.m. 489.* Saltem videtur sella ista perforata, per quam futuri Pontificis genitalia ab ultimo Diacono Cardinale postea contrectabantur, affirmantium sententiam maxime stabilire, & ab anilibus fabulis liberare. Hactenus nunc absoluta est distinctionis ad quæstionem propositam prima facies: Sequitur secunda, quam affirmavimus, scilicet, posse eum etiam in Imperatorem eligi, qui adhuc juvenis & imberbis est: Quia neque in Aurea Bulla, neque in aliis Imperii Constitutionibus de ætate eligendi Imperatoris quidquam constitutum reperitur, unde Electorum arbitrio relinquitur cujus ætatis Imperatorem eligere

 velint:

velint: Vitriar. *de Jur. Publ. lib.* 1. *tit.* 5. §. 5. Reincking. Reichs-Adler *tit.* 2. §. 14. Exempla, quibus hæc veritas illustrari potest, sunt passim obvia, nam Otto Tertius electus est admodum adhuc puer, sicuti Frisingensis & Abbas Abspurgensis inter alios de eo attestantur. Ita etiam Henricus III. anno ætatis 12. Henricus IV. anno 8. Fridericus XI. anno 20. Carolus V. ann. 19. Wenceslaus anno 15. Ferdinandus IV. anno 20. Leopoldus ann. 18. Josephus anno 12. electi sunt Imperatores: vid. Liebenthal. *exerc. pol.* 8. *th.* 1. *n.* 18. negari tamen haud potest, magis expedire Reipublicæ, si tales ei præponantur, queis jam longa ætas magistra fuit, quo cum sene isto interrogato, *cur barbam gestaret sylvosam ac horridam?* respondeant, *intuendo canos pilos nihil committendum illis indignum.* Plutarch. Quo responso aliquando usus dicitur Taubmannus, ille, juxta Baudium *lib.* 2. *jamb. festivitatis & salinarum arbiter:* Dann/ als er gefraget ward: Warum er einen so starcken Bart trage: Antwortet er: Darum/ auf daß/ so oft ich diese Haar ansehe/ gedencken mag/ daß ich keine feige Memme/ oder alt Weib/ sondern ein Mann bin/ der da heisset Friedrich Taubmann: vid. Taubman-

mannian. *pag.* 111. Sane non tantum inconveniens est, ait Pfeffing. *ad Vitriar. de l. ut imberbis senibus imparet*, sed & si ipsimet, qui præsunt populo, de rebus simul statuere possunt, conducibilius est, quam ut a variis Consiliariorum judiciis Civile Bonum simpliciter dependeat: Quid enim? an ex Metoposcopia vel Chiromantia cognoscuntur? vid. LUBOMIRSKY *tract. de Vanit. Consil. c.* 1. Certe quod placuit Ciceroni displicuit Catilinæ, displicuit Cæsari, quod placuit Bruto: Unde Carolus IV. ann. 31. Maximilianus II. ann. 36. Mathias ann. 55. Ferdinandus II. ann. 41. ad summum Imperii culmen pervenerunt: Et quod hæc provectior imperantium ætas magis è re sit reipublicæ, quam si nimium juvenes clavum imperii teneant, patet ex eo, quod Deus comminetur, se daturum principes juvencos: *Jesa. c.* 3. *v.* 4. Possunt hæc suo modo trahi ad quæstionem istam politicam: Num Reipublicæ salutare sit, ut Princeps eligat Consiliarios juvenes & adhuc imberbes? Verum uti Aristoteles duplices facit juvenes, quorum alii sunt juvenes ratione ætatis, sed ratione ingenii, intelectus & morum senes, quemadmodum de Hermogene dicitur, *Hermo-*

*genes inter pueros senex*, quales juvenes Sophocles ἀνδροπαῖδας, i. e. *pueros viriles* vocat, alii vero ratione ingenii juvenes, attamen ratione ætatis & annorum senes, vulgo Grobiani dicti, de quibus Heidfeld. *in Sphing. cap. 15.* Ita illi ætate juvenes sed ingenio senes recte admittuntur, cum eruditio & virtus sæpe suppleant ætatem, indignum enim foret, eum nondum honoris tempestivum videri, qui jam virtuti maturus est: Val. Max. *lib. 3.* suo id exemplo comprobante Nerva filio, de quo in *l. 1. §. 3. ff. de postul.* & Honorio nobili puero, de quo in *l. ult. in fin. C. de Relig.* Nisi hic malis per nobilem puerum intelligere cum Vultejo illum qui spem habebat succedendi in imperium, *de judic. lib. 1. cap. 4. n. 105.* vid. hon. Dn. Parens *de jur. Ventr. part. 11. Sect. 4. §. 1.* Si vero hi juvenes tales sint & ætate & ingenio simul, tum merito à gubernatione Reipublicæ tam diu removentur, usque dum capacitatem animi consecuti fuerint, quia plus nimis adhuc affectibus indulgent, cœlumque terræ miscent, unde Lutherus Germanicus ille Cicero: *Phaeton ist ein junger Raht / der wil Kürtzum elff Kegel treffen / da nur neun auf dem Platze stehen.* Math. *th. hist. monarch. 2. p. m. 260.*

Solet-

Soletque in tales ludi illud Maronis:
*Et solem geminum & duplices se ostendere Thebas.*
Sæpe cum cœco in Evangelio respondentes: *Video homines tanquam arbores ambulare.*

*Th. 8.*

Narsetem propter opprobria à Sophia Justini Imperatoris conjuge sibi illata Longobardos in Italiam vocasse, lippis & tonsoribus notum est: Nam cum Narses divitiis auctus, eapropter à Romanis apud Justinum ejusque conjugem Sophiam accusatus, quod nimis oneribus provinciam premeret, in hæc ea verba dicitur prorupisse: *Eum in gynæceo cum puellis aptiorem ad dividenda lanarum pensa, quam ad ferendum sceptrum:* At Narses ad hæc: *Ordiar telam, quam semel textam, quicquid muliebrium Sophiarum est, non retexet:* vid. Hilger. *comp. hist. cap. 11. qu. 39.* dictum factum: Alboinum Regem Longobardorum incitat adversus Romanos, veniunt Longobardi, ingrediuntur Italiam, occupant illam partem, quam inde adhuc hodie vocamus Lombardiam, corona cingunt Romam, habuissent illam tributariam, latiusque extendissent per Italiam lacertos, nisi in angustias redactis Pontificibus suppetias

 tulis-

tulissent Francorum reges Pipinus & Carolus: Atque ita vere ultus est Narses illatam sibi injuriam: vid. Pfeffing. ad *Vitriar. lib. 1. tit. 4. §. 5.* Hæc, ut narrata, ita se habere, nemo ambigit, illud tamen adhuc controversum est, quare & unde hi homines, quos Narses in Italiam accivit, nuncupentur *Longobardi?* Verisimile est, eos id nomen habere a longis, quas aluere, barbis, à Germanico Bart/ barba: teste Gunther. *Ligurin. 2. v. 127.*

*Dicitur à longis ea Longobardia barbis.*

Consentit Georg. Casp. Kirchmaj. *in Comm. ad Tacit. Germ. c. 40.* ubi, *de Longobardis*, inquit, *ob promissas quas aluere barbas sic appellatis.* idem visum est Sigeberto *Chronogr. p 480.* Paulo Diacono *lib. 1. c. 9.* Isidoro *orig. lib. 9. c. 2.* apud Besselium *ad Eginhart. de Vit. Car. magn. p. 39.* idem tenet Dn. Parens *in not. Feud ad Feltman. cap. 1. §. 1. n. 3.* ubi notabilis est sequens ex Paulo Diacono relata narratio: *Refert hoc loco antiqutas ridiculam fabulam, quod accedentes Wandali ad Wodan, victoriam de Winilis postulaverint, illeque responderit, se illis victoriam daturum, quos primum oriente sole conspexisset: tum accessisse Gambaram ad Fream uxorem Wodan, & Winilis victoriam postulasse, Freamque*

con-

*consilium dedisse, ut Winilorum mulieres solutos crines ante faciem ad barbæ similitudinem componerent, maneque primo cum viris adessent, seseque à Wodan videndas pariter è regione, qua ille per fenestram orientem versus, erat solitus aspicere, collocarent, atque ita factum fuisse: quas cum Wodan conspexisset oriente sole, dixisse, qui sunt isti Longobardi? tum Fream subjunxisse, ut quibus nomen tribuerat, victoriam condonaret, sicque Winilis Wodan victoriam concessisse.* Et quamvis hæc fabula in se considerata ex puteo Democriti deprompta videatur, probabile tamen est, longas barbas nomen dedisse Longobardis, præprimis cum ætate ista omnes viri promissas habuerint barbas: Albertus Krantzius *Rer. Germ. lib. 2. Dan. c. 21.* ita ut Longobardi in Italiam venientes inde nomen acceperint: licet allegato Krantzio magis opinabile appareat, illos à longa corporis statura ita appellatos fuisse, quasi homines prælongi uno verbo dicti sint Longobardi, i. e. longi barbari: sed nimis longe petita est hæc conjectura: neque obstat visioni nostræ, Saxones tum temporis ut plurimum imberbes fuisse, uti statuit Gryphiand. *de Weichbild. Saxon. cap. 70. n. 18.* contrarium

enim patet ex allegatis auctoribus, & speciatim ex verbis Krantzii sequentibus: *equidem ætate illa omnes viri promissis barbis utebantur.* acu igitur & calamo rem tangit Kirchmajerus, dum inquit: *Sed contra Longobardi à promissioribus alendis barbis, tanquam ornatu faciei, ac honesthamento viri, meruere nomen:* ita sane statuendum est, atque judicandum de Longobardis antiquis, de illis inquam, qui ante Caroli Magni tempora Italiam ultra ducentos annos inundaverant, illos enim omnes non tantum prolixas nutrivisse barbas sed & mentum bene hirsutum militaris ornamenti instar habuisse, quilibet, qui animi sui complicatam notionem evolvit, atque temporum istorum & gentis rationem habet, protinus cognoscit: at quemadmodum à consuetudine antiquorum in multis identidem recessum est, ita & barba, cui antea aqua & igni interdicebatur, nescio quam tandem pœnæ servitutem pati debuerit quotidianæ abrasioni obnoxia: mirum profecto, atque cum antiquorum observantia pugnans institutum: respicit eo Wittichindus *lib. 2. ann.* de Ottone Magno scribens, eum contra morem Saxonum promissam barbam habuisse: vid. Dn. Rhet.

Rhet. *de jur. publ. lib.* 1. *tit.* 2. §. 19. quod tu de illis Saxonibus intellige, qui tempore Ottonis Magni vixerunt, de illis enim agitur ibi, adeoque non poteſt id applicari ad Longobardos iſtos, qui jam ante aliquot ſecula ex Germania in Italiam venerant: non valet igitur ſequens argumentum: Otto Magnus aluit barbam contra morem Saxonum, ergo Longobardi non ſunt dicti à longis barbis: aut, non habuerunt Saxones tempore Ottonis Magni promiſſas barbas, ergo nec Longobardi, qui ante trecentos, & quot excurrunt, annos in Italia vixerunt: diſtingue tempora, dicitur in proverbio, & conciliabis leges, immo diſtingue, & conciliabuntur quoque ſcriptores; vid. *arg. l.* 13. §. 1. *ff. ad L. Jul. de adult.* illud interim ingenue confiteor, mihi ex omnibus aliis conjecturis, quas de originatione vocis *Longobardorum* diverſe tradunt, noſtra, quam à barba petimus, ſepoſita, iſtam maxime arridere, quam deducunt **von der langen Börde** / à plaga quæ circa Magdeburgum eſt, **auf der Börde.** Dn. Thyll. *ad Stryk. exam. jur. feud. cap.* 1. *qu.* 2. Philipp. Melanchton *lib.* 3. *chron.* Gryphiand. *de Weichbild. cap.* 49. *n.* 3. vel à **Beyohrten/**

welche waren Sitze und Wohnung / ut scribit Iohann. Piderit. *Chron. Comit. Lipp. part. 2. pag.* 150. quia prope Albim in longitudinem protensi habitabant. Dn. Rhet. *all.* §. 19. accedit Bünting. *in Chron. Brunsvvic. pag.* 19. hisce verbis: *Anno Domini* 526. sind die Longobardi, die an dem Ort / da jetzt die Stiffte Magdeburg und Halberstadt gelegen / ihren Sitz gehabt / und daher die Longobörder genannt worden. Item Winckelm. *in not. Westph. p.* 260. §. 30. Börder *sunt incolæ ejusmodi tractus, uti Paulo ante de Longobardis dictum est, qui in agro Magdeburgico ad Albim habitarunt, exinde* von der langen Börde *profecti in Italiam*: imo certum aliquem districtum in genere aliquando vocari Börde / vides inter alios apud Gryphiand. *de Weichbild. cap.* 61. *n.* 6. pro quo sæpe solet poni gow / sive gaw / gew / unde Algaw / Walgaw / Ergaw / Suntgaw: vid. Wehner. *observ. pract.* voc. gow. Belgæ vero dicunt *go.* hinc *go-spraeck, t' go-recht*: idem notat vox *Gogreve* apud Steinfurtenses, Monasterienses, aliosque qui ea utuntur. Feltman. *de juram. perhorr. cap.* 21.

*Thes.* 9.

Quæris, quem pedem Æneas prius in Italiam posuerit? Quæris, an die Sabbathi

bathi candelam emungere permissum sit? Quæris, an intra domus januam stanti extra domum mingere liceat? Quæris, in quo vase Adamus lapidem Philosophorum elaboraverit nondum repertis vitris? Sprenger. *fragm. jur. publ. cap.* 14. §. 3. *p. m.* 219. Carpzov. *jurispr. Consist. pos.* 1. *in pr.* Horn. *ad Sulpic. Sev. sacr. hist. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 7. ita etiam ex te quæro, *Carolus Magnus fuitne barbatus*, *an imberbis?* posterius affirmant multi: malim tamen ego cum illis facere, qui eum barbatum dicunt: Turpinus existimat barbam ejus palmo longam fuisse, alii rursus ad pedes demissam: *Et novissime Wasserbach Dissertat. de Statura Wittekindi M. & Caroli M. ubi inter alia videre licet sigillum annulli Karolini, quod Corbejæ & Osnabrugi superest sub privilegio Ecclesiæ de anno* 804. quod *Carolum M. exhibet barbatum.* Dn. Parens *Not. Feud. ad Feltman. n.* 3. quibus opitulatur præsumtio ista generalis, quam thes. præc. ex Krantzio, omnes tum temporis barbatos fuisse referente, produximus, maxime autem probant id omnia quæ alicubi locorum adhuc supersunt monumenta, utpote quorum quodlibet eum barbatum exhibet: memini me duo vi-

disse,

diſſe, alterum Oſnabrugi, alterum Monaſterii, at utrumque barbatum, tertium exſtat apud Gilles Corrozet in libr. *les antiquites de Paris tom.* 2. *p.* 45. ut merito mirer, quo dici poſſit fundamento, ea quæ apud Turpinum de prolixitate barbæ Caroli Magni habentur, merum figmentum eſſe, licet enim Eginhardus in deſcriptione ſtaturæ & habitus corporis nullam faciat mentionem de barba, licet Freherus eum in principio regiminis ſui puro mento fuiſſe ſcribat, inde tamen veriſimilitudo, aut potius veritas, noſtræ opinionis minime infringitur, cum prima ab Eginhardi ſilentio deprompta concluſio nihil evincat, altera vero aut ad tempus inchoati regiminis reſtringenda, aut melius probanda ſit: Conf. Ioh. Herm. Schminckius *ad Eginh. de Vit. Car. M.* neque enim datur conjecturæ locus, ubi tot ſunt argumenta in contrarium, totque teſtimonia. *arg. l.* 137. §. 2. *ff. de V. O.* inter quæ nec hoc ſilentii ſupparo involvendum, quod nimirum pro principe bellicoſiſſimo, qualis certe Carolus fuit, præſumtio militet, eum barbatum fuiſſe & hiſpidum, ſemper enim inter inſignia heroum (quidquid etiam de Rulando imberbi narret Gry-

Gryphiand. *de Weichbild. c. 7.*) relata fuit inculta barba, *qui non fuerunt soliti tondere eam.* Serv. *ad 3. æn. v. 393.* saltem in tali æstimio fuit apud Ammonitas: Mart. Geier. *de Ebræor. luct. c. 8. §. 8.* nec non apud Suevos Germanosque. Alex. ab Alexandr. *lib. 5. c. 18.* item apud Parthos, uti jam supra *th. 2.* ex Plutarcho probavimus, eoque spectat sequens, quod inter Ottonis Meleandri Jocoseria exstat, carmen 180.

*Cum quædam, cur sim barbatus, virgo rogaret:*
*Hoc, dixi, vultu territus hostis abit.*

Quod an perpetuum sit, monstrat ibi annexa virginis responsio, quam tacitam relinquo, sapit enim sermonem Milesium, illis gratiorem, qui vitam agunt Cyclopicam, de quibus Persius:

*cum carmina lumbum*
*Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.*

Diversum sensit Alexander Magnus, cui visum est, ut milites deponerent barbam, ne ea in dimicando impedimento esset. Plutarch. *in apopht.* idem judicarunt Saraceni, scribit enim Hieronymus Osorius, quum Lusitani ad Pannanem in terram desilire conarentur, triginta Saracenos (i. e. *habitares diserti:* à *sarra* Arabice *desertum* & *sakan* habitare) capiti-

pitibus & mentis abrasis in eos impetum fecisse: idem de Mysiis & Curetibus, ἀπὸ τῆς κυρᾶς, i. e. tonsura ita dictis refert Camerar. *cap.* 36.

*Th.* 10.

Sponsiones nullam turpitudinem in se continere, easque omni jure permissas esse, dictitat sana communi Doctorum calculo approbata ratio: nam cum quilibet rerum suarum sit liberrimus arbiter, sequitur quod de illis non tantum pure, verum etiam sub conditione quadem disponendi potestatem habeat, adeoque etiam spondendo. *l.* 3. *ff. de aleator. l.* 17. §. 5. *ff. præscr. verb. l.* 21. *C. Mandat. l.* 57. 63. 108. 129. *de V. O.* Wehner. *Obs. Pract.* voc. **Wetten**. Scaccia *de Commerc.* §. 1. *q.* 1. *n.* 88. requiritur tamen, ut fiant absque dolo, *l.* 36. *ff. de V. O.* junct. *l.* 38. *de R. V.* & captiositate, qualis est, si dicatur, **daß der Stadtschreiber zu N. weder lesen / noch schreiben könne**: cujus sensus est ambiguus, nimirum ut vel plane sit ἀναλφάβητος, vel ut valeat legere illud **weder** / & scribere illud **noch** Lauterbach. *comp. ff. tit. de Aleat. pag.* 161. qualis subtilitas in Belgio vocatur *een Tibben-streeck* ab Anabaptistis, qui ibi vocantur *Tibben* à Tibone, hasce dilogias maxime

xime amantibus: vid. Bentheims Holländische Kirchen- und Schulen-Staat / *c.* *19. §. 3. & 4.* Groning. Historie der heutigen Religonen. *pag. 182.* simile exemplum habet Dn. Parens *in Sicil. Man. 4. ad pag. 161.* ubi nota in vocula jedes latitare captiositatem, una ex tribus istis virginibus vocabatur jedes: en integrum carmen:

Ihrer drey mit grossen Hauben/
Hatten drey gebratne Tauben/
Jedes aß die sein in Ruh/
Und pflegt auch den Trunck zu lieben/
Aber sagt / wie geht es zu/
Daß zwo Tauben überblieben;
Wer diß Rätzel kan errahten/
Dem wird man vier Tauben braten.

Ejusdem farinæ est illud flexiloquum πολυθρύλητον, Groninganis & circumjacentibus non incognitum: *die man heeft een baart soo lang, dat indien hy op de trappen gaat, soo treed hy daarop:* est enim amphibologia in particulis *daar op*, intellige *op de trappen*, non vero *op de baart*. Quare nec ulla obligatio, si de eo cum aliquo certatum est, ex istiusmodi nascetur sponsione, cum pactum sit duorum vel plurium in idem placitum consensus *l. 1. §. 2. ff. de pact.* nihil autem consen-

ſenſui obſtet magis quam error. *l. 15. ff. de jurisd.* at qui poteſt dici ibi adeſſe idem placitum, ubi alter cogitat de gradibus, alter de barba? neceſſe igitur eſt, ut uterque de barba cogitet, alioqui erit absque omni juris vinculo: nolo tamen quis exiſtimet, impoſſibile eſſe, ut uterque de tali barba certare poſſit, propterea quod in toto terrarum orbe non reperiantur homines, quorum barba adeo prolixa eſt, ut in terram dependeat: contrarium patet enim ex barba alicujus Henrici Steinigeri in tantam longitudinem extenſa, quantam vix animo concipis ipſe tuo, lubet hic apponere ipſiſſima verba Patris Abrahami à S. Clara, quæ hac de re in tractatu ſuo Judas der Ertzſchelm conglutinavit, & ſunt ſequentia: Dahero nicht wenig damit geprangt Hanß Steiniger / Bürger und Handelsmann in der Stadt Braunau in Nieder-Bayren: dieſer hatte einen Bart/ daß er ſolchen zwey Spann auf der Erden zoge/ und deſſentwegen die mehriſte Zeit ſolchen Bart in einen ſchönen ſammeten Beutel getragen: wie dieſes gnugſam beſtättiget/ ſein aus Marmel gehauener Grab-Stein in der Kirchen-Mauer zu Braunau. Confirmat id Chriſt. Ludov. Dietherrn *add. ad*

*ad Besold. thes. pract.* voc. radiren. dicendo: Hanß Steinigers des Rahts und Kirchen-Pflegers in Augspurg Vater / auch Hans genannt / hat einen Bart 3½ Eln lang gehabt. recordor hic Iohannis Heidfeldii, prolato exemplo cujusdam phagonis qui, ad mensam Imperatoris Aureliani uno die comederat integrum aprum, centum panes, vervecem & porcellum, in hæc verba erumpentis: *fidem ista superant, sed quia à verissimis auctoribus consignata sunt, quis in dubium vocet?* ita & idem de prolixitate istius barbæ judicium esto.

*Thes.* II.

Romanos veteres non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis pubertatem æstimasse testatur sacratissimus Princeps *in princ. quib. mod. tut. fin.* verum an talis inspectio de nudo corpore, an saltem de externa universi corporis, ac totius hominis figura & dispositione capi possit, de eo dissentiunt adhuc inter se Doctores: prius affirmat Imperator Justinianus in *all. princ.* inspectionem istam vocans *impudicam*, neque cum *castitate* suorum temporum convenientem, *indecoram* & *inhonestam* *l. ult. c. quand. tut.* quod de externo cor-

poris habitu nullatenus intelligi potest, sed de illis partibus quas sinus abscondit, ut loquitur Satyrinus: posterius defendunt Rævard *4. var. 10.* Bachov. *in Comm. ad pr. J. quib. mod. tut. fin.* Vinn. Fuchs, Giphan. *ibid.* Salmuth. *ad 1. mem. Pancirol. tit. 43.* Lyclama. *7. membr. eclog. 15. §. 3.* aliique Neoterici Justinianum hac in parte lapsum esse contendentes, propterea quod nec veterum quisquam ejus mentionem faciat inspectionis, tum quod cum castitate Romanorum, eorumque moribus non conveniat: verum quamvis concedam lubens, nonnulla in corpore juris nostri loca reperiri, quæ parum videntur cum antiquis scriptoribus concordare, uti inter alia aperte falsum est, quod dicitur de Imperatore Antonino Pio, eum omnes qui sunt in orbe Romano fecisse cives Romanos *l. 17. ff. de S. H. nov. 78. cap. 5.* cum id non Antonino Pio, sed Caracallæ debeatur, Spanhem. *Orb. Rom. exerc. 2. n. 1. & 6.* Dn. Parens. *Irner. inj. vap. coit. 43. §. 5.* van Eck. ad *ff. lib. 1. tit. 5. §. 19.* quia pater ipsius Severus teste Spartiano *cap. 1.* natus est ante civitatem omnibus datam, quod dici non posset, si id jam esset antea constitutum ab Antonino Pio. vid.

Cel-

Cellar. *antiq Rom. cap. in fin.* Feltman. *ad §. ult. J. de libert.* similem errorem detexi in *Comment. theor. pract. ad Lauterb. pag.* 60. & 68. nego tamen talem erraſſe Juſtinianum in *all princ. J. quib mod. tut. fin.* cum non tantum argumenta, quibus diſſentientes moti in diverſum abeunt, nullius ſint valoris, quid enim vult tibi à caſtitate Romanorum deſumta collectio? verum etiam pro Juſtiniano militeromnium veterum interpretum conſona opinio: Bonifac. *Ludier. Hiſtor. lib.* 4. *cap.* 18. Rebhan. *hodoget. jur. pag.* 173. & *ſeq.* Franc. d' Amaya 3. *obſ.* 5 *n* 32. & *ſeqq.* imprimis hocce Quintiliani *Declam.* 279. *poſtea nudari filium, atque in conſpectu judicum conſtitui cogit, & interrogat, an ille maritus eſſet, qui fieri pater non poſſet?* illudque Ariſtophenis: παίδων δοκιμαζομένων αἰδοῖα πορέσι θεᾶσει. Ut ut ſit, hoc eſt interim pro certo ſtatuendum, Romanos utroque in caſu maxime barbam ob oculos habuiſſe, atque ex ea judicaſſe an quis matrimonii capax eſſet nec ne: *Barbam* dixi: intellige utramque: ita enim *in pr. J. quib. mod. tut. fin.* ad verb: *ex habitu*: loquitur Gloſſa, addendo, *id eſt*, *aſpectione*, *utrum haberet barbam unam vel alteram* nec ſine ratio-

 ne:

ne : *innotescit quippe* (inquit Aristot. 5. *hist. anim.* 14.) *homini pubertas, non solum vocis mutatione, sed etiam testium & mammarum magnitudine, & maxime ortu pilorum :* cujus intuitu antiqui Saxones nemini gratiam fecerunt ætatis, nisi parectato : Denn die Alten ertheileten keinem seine Jahr / wenn sie sein Alter nicht wusten / er hått denn Haar in dem Bart / und da nieden / und unter jeglichem Arm. vid. Weichbild *art.* 26. solebantque eapropter Romani adolescentes barbam alere usque dum ad masculam ætatem pervenissent. Bernart. *ad Stat. Papin. theb.* 6. *ỷ.* 195. respicit eo Sueton. *in Cal. c.* 10. dicens : *undevigesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio Cajus, uno atque eodem die togam sumsit barbamque posuit, sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus.* Item Martialis 6. *epigr.* 52.

*Hic jacet in tumulo raptus puerilibus annis*
*Pantagathus domini cura, dolosque sui*
*Vix tangente vagos ferro resecare capillos*
*Doctus & hirsutas excoluisse genas.*

Persius *Sat.* 3. *quibus indetonsa juventus :* eratque ille dies positæ barbæ lætus & festus, hinc Juvenal.

*Ille metit barbam, crinem hic deponit amati*
*Plena domus libis venalibus.*

Ve-

Verum cum hæc omnia ſint partim incerta, (nam & poſtridie ab ortu dicitur Homerus jam pilos habuiſſe in inguinibus, & ob id nomen Homeri accepiſſe, antea Meleſigenes vocatus. vid. Zacch. *Quæſt. Med. Leg. lib. 1. tit. 1. qu. 6. n. 8.*) partim etiam nimis incommoda, illaque nudi corporis inſpectio inhoneſta & impudica, hinc viſum eſt Imperatori Juſtiniano certum conſtituere tempus, quo tum maſculi tum feminæ pubeſcerent, quale in illis eſt annus decimus quartus adimpletus, in hiſce vero annus duodecimus, incipit enim ea ætate vis generationis moveri, crediturque natura ad generandum apta, ut merito Platonis Ariſtotelisque Philoſophia, quorum alter annum triceſimum, alter triceſimum ſeptimum maſculis præſcribit, hac in parte ab Imperatore rejecta ſit: Macrob. *7. Saturn. 7. ſecundum jura publica, duodecimus annus in femina, & quartus decimus in puero, definit pubertatis ætatem.* Quamvis ſi de ſocietate nuptiali reſpectu Reipublicæ ſermo eſt, non ſola generandi potentia, ſed præterea prudentia, ſibi ſuisque de rebus ad vitam bene agendam neceſſariis proſpiciendi, & familiam regendi requiratur, ut recte

monet Dn. Andreas Homborg *Instit. I. 1. tit. 10. §. 10.* Conf. Dn. Schvveling. *Philos. in Oeconom. §. 13.* Germanis id singulari laudi ducitur apud Tacitum *de Mor. Germ. c. 20.* quod non adeo mature catuliverint: *propter seram*, inquit, *juvenum venerem veniat inexhausta senectus: nam nec virgines festinabantur, eadem juventa, similis proceritas, pares validique miscebantur.* Jul. Cæsar *de Bell. Gall. lib. 6. c. 21. qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali vires, nervosque confirmari putant, intra annum vero 20. feminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus.* à quo laudabili instituto adhuc longius recedunt Rutheni (quorum de juribus meretur legi elegans Dissertatio Dn. Georg. Engelbrecht, habita Helmstadii d. 28. Novembr. Ann. 1711.) utpote cum & undecimo anno eorum juvenes ad matrimonium convolare possint, teste Olear. *Pers. Reiß c. 12.* Verum disputant inter se Doctores, quænam genuina sit ratio, ob quam feminæ citius pubescant, quam masculi? quilibet abundat hic suo ingenio: forsan fit mutatio ætatis in masculo per septennium, in femina per senarium: at omne *forte*, tollitur per *forte non:*

*non:* vid. Gell. *noct. att. lib. 3. c.* 10. nec placet Cellarii ratio, *Pol.* 2. §. 17. quod sc. feminæ ſint naturæ frigidioris, hoc enim quam falſum ſit, docet experientia ſatis, ut nonnemo eas rectius retulerit ad res quæ non poſſunt ſervando ſervari, conſtat enim & octo annorum puellas ſubinde ſalacis erucæ pruritum ſentire, &, cum Plauto loquor, earum friguttientium papillas fraterculare, id volui dicere, ſororiare, quid opus eſt verbis? quemadmodum an. 1278. in Suevia contigiſſe referunt Annales Suevici, vid. Math. *th. hiſt. Mon.* 4. *p. m.* 645. Salmuth. *ad Panciroll. lib.* 2. *tit.* 10. ita ut omnium ſapientiſſimus Rex Salomon eas cum igne optime comparaverit. *Proverb.* 30. *v.* 16. ſed nec placebit ſequens vobis ratiuncula delicati juvenes! *quod mala herba citius creſcat quam bona:* ſicuti exilia poma celerius matureſcunt quam robuſta:

*Ut folium ſegetes creſcendo vincit, ut alte*
*Emicat hortorum carduus inter opes:*
*Femina ſic maribus citius conſurgit in auras,*
*Femina non ullum ferre parata modum:*
*Nimirum pauca creſcunt vel ocyus herbæ,*
*Femina quas inter connumeranda fuit.*

Vultis aliam? en: *femina conſumitur citius & ideo perficitur citius:* en etiam

Phyficam: *facilius eſt pati quam agere*: nisi quod & hæc officium ſuum aliquando perdat: cum decem quandoque annorum pueri reperiantur, qui æque valeant παιδοποιεῖν: & quis neſcit Salomonem anno ætatis ſuæ decimo generaſſe Roboam, & Achazem anno undecimo Ezechiam? honor. Dn. Parens *de Jur. Virg. p. 1. c. 1. §. 11.* Borcholt. *de grad. p. m.* 97. Hieron. *in Epiſt. ad Vital Presb.* at

*Non una ver hirundo, non ſimplex facit*
*Actus Catonem, toto opus choragio eſt.*

Baud. *lib.* 1. *gnom. jamb.* 5. Polman. *racem. ad §. 2. J. procem n.* 3. ergo inſpiciendum eſt quid ἐπὶ τὸ πλεῖστον exiſtat, regulariter autem movetur vis generationis in feminis citius, quam in maribus. vid. Vinn. *comm. ad pr. J. quib. mod. tut. fin. n. 3.* atqui hæc eſt unica, quam Imperator ſine dubio reſpexit, differentiæ ratio.

*Th.* 12.

Injuria dividitur in realem & verbalem: utraque habet circa barbam locum: utriusque ſunt variæ ſpecies: ita ſi dicam, *tu mentiris*, injuria eſt. Berlich. *p.* 5 *concl.* 59. *n.* 47. etiamſi fiat cum proteſtatione *ſalvo honore tuo*, *c.* 1. *x. de præſumt. lib.* 21. *ff. de acq. vel omit. her.* Dn.

Thyll.

Thyll. *ad Gail. l. 2. Obs. 99.* Dn. Mencken. *Disp. 2. th. 11.* Damhoud. *pract. crim. c. 136. n. 7.* quia protestatio actui contraria nihil operatur, *c. 54. in f. x. de appell.* Stryk *de caut. contr. S. 2. c 1* §. 27. Carpz. 2. *Const. 10. def. 22.* Gail. 2. *Obs. 101. n. 2.* idem est, si quis dicat, *tu es bonus maritus, tu es bonus homo:* Mencken. *all. Disp. th. 12. tu Et cætera.* Stryck. *Dissert. de Et cætera. c. 5. n. 62. gy kalys.* Polman. *ad* §. 1. *J. de injur. n. 7.* **du Pfaffe.** Dn. Homborg. *ad tit. J. de injur.* § 2. ita etiam est injuria, si quis barbitonsorem, prout aliquando accidit, appellet, **ein Bart-Teufel/** vel si illum qui rubram habet barbam vocet, **ein Roth-Bart: Ein Roth-Fuchs.** Quia illi, quibus rubra est barba, non omni apud vulgus hominum suspicione carent, sicuti jam supra latius ostendimus, constatque ex raro exemplo alicujus nobilis Hispani, qui ob id solum, quod rubram haberet barbam, patibulari (ita locutus est Antonius Vergas apud Berckem. *jur. antiq. part. 1. p. 103.*) quemquam jusserat: in testem, an omni fide hac in parte majorem, nescio, liceat mihi provocare Abrahamum à S. Clara, in tractatu suo **Judas der Ertz-schelm/** hanc historiam hoc modo expo-

nentem: und als man dessen Unschuld vorkehrete / wie wissentlich nicht bekannt seye / daß dieser guter Mann etwas übels gethan: denen hat der verrückte Edelmann geantwortet: Er hat einen rohten Bart / hat er nichts übels gethan / so hat er doch etwas übels stifften können: Hisce injuriis verbalibus annumerandum quoque est, si quis aliquem appellaverit einen Kahldaunen-Schlucker: Verum, quid putas, mi Lector, unde hoc vocabulum Kahldaunen / ut hoc obiter addam, descendat? ne credas id desumtum ex jure Harcomanno, ita vocabat iste Linguæ Germanicæ ignarus Gallus das Herkommen / vid. Schottel. *de Sing. & ant. jur. germ. in præf.* sed est verbum Græco-Germanicum, à Kahl / i. e. nüchtern / ungesaltzen / trucken / & δαίνυμαι, i. e. *comedo*, & *convivor*, unde Kahldaunen / significat *misere epulor & comedo:* neque enim video, qui cibus iste ad attica bellaria & cœnationes Lucullianas referri possit: quod vero vocamen illud partim Germanicum dixerim, partim Græcum, id inde credo esse, quod studiosi illi, qui Collegio Communitatis, ubi talia irritamenta gulæ sæpe dapinantur, inscripti sunt, maximam partem Theologiæ, adeoque

eoque & Linguæ Græcæ operam navent: quid, quod si verba Græco-Latina reperiuntur, quidni & Germanico-Græca? quis nescit paragaudam in *l.* 2. *C. de vestib. hol.* semigræcam & semilatinam dictionem esse, nimirum ex παρὰ & *gaudium*, vel *cauda*, quasi *Paracauda*, i. e. juxta caudam & oram vestis: licet Casaubonus ad Pollionem puram Syrorum esse contendat: vid. Mich. Praun. Adel. *Europ. c.* 7. *p.* 115. *in not. lit. a.* nemo igitur vocaverit alterum impune einen Roht-Bart/ sive Roht-Fuchs / injuria enim est, tenebiturque injuriarum: neque ipsi proderit, quod injuriatus talem rubram barbam re vera habeat, quia in actione injuriarum non tam veritas convicii, quam animus injuriandi consideratur. *l.* 53. *ff. de furt.* Mynsing 4. *obs.* 4. expresse id sancitum est in Sanct. Criminal. Carol. und ob sich auch gleichwol die aufgelegte Schmach der zugemessenen That in der Wahrheit erfünde / soll dennoch der Ausruffer solcher Schmach nach vermöge der Rechte und Ermessung des Richters gestrafft werden.

*Th.* 13.

Sequitur injuria realis, quæ etiam multifarie committi potest, speciatim vero

vero per violationem barbæ: ita si quis pulsatus, pugnis aut fustibus cæsus, vel verberatus fuerit, injuria est realis, §. 1. *J. de injur.* item si quis equum fræno retinuerit, vel si creditor debitoris sui bona injuste arrestaverit, vel si quis virgini oscula immodeste libaverit, Mart. Kemp. *de Oscul.* §. 19. & 20. licet alias
*Osculando quapiam non fiat impudicitior,*
Plaut. *Curcul. act.* 1. *sc.* 1. multo magis si quis ejus pudicitiam attentaverit. *l.* 15. §. 22. *ff. de injur.* etiamsi id factum sit à clerico, nimis enim exorbitans foret ejusmodi benedictio, ut merito dicatur, *à tali benedictione libera nos Domine*, nescio numne eo respiciant verba Pauli, διὰ τοὺς ἀγγέλους: 1. *Cor.* 11. ℣. 10. conf. Nevizan. *Sylv. nupt. lib.* 4. §. *est nubendum. num.* 76. Kemp. *de Oscul.* §. 19. Dn. Parens. *tr. de Jur. Fil. m.* 7. §. 11. & quæ dixi in *tr. de Jur. Sanctor. lib.* 1. *th.* 3. aliter tamen animatus fuit simplex ille caprimulgus, cujus uxorem monachus aliquis Turcicus publice depsuerat, de quo Busbek. in Itinerario, alias Sendschreiben Türckis. Botschaffters *pag.* 889. sequentia: *Leonclavio* erzehlete *à Salagasto*, da dieser aus Egypten nach Constantinopel kam / wie daß ein wohlgestaltes Weib / so zu *Alexandrien*

*drien* eben aus dem Bad gegangen war / von einem Türckischen München / die sie *Torlaces* nennen / auf öffentlicher Strassen überfallen / und vor allen Leuten bezwungen worden : über welcher Zeitung ihr Mann zu Hauß höchlich erfreuet worden / daß ein so heiliger Mann / durch eine Geistliche Anregung / vor allen anderen (sintemahl ihrer viel untereinander aus dem Bad gehen) eben zu seinem Weib diese Lust bekommen ; at ut alias species injuriæ realis prætermittam , videndum potius numme & ille talem commisisse dicendus sit , qui alteri barbam vellit ? sane ita est: summa enim est dedignatio, summa contumelia & insultatio : in tantum ut in proverbium abierit, *barbam alicui vellere*, pro *summam contemptionem alicui imponere* , *& quasi oppedere*: Horat. 1. *Sat.* 3.

*Vellunt tibi barbam*
*Lascivi pueri.*

Persius:

*Idcirco stolidam prebet tibi vellere barbam.*

Nec non major habeatur injuria, si quis alteri crines aut barbam expilasset, quam si pugno vel manu eum percussisset. Sched. *de Diis Germ. c.* 50. *p.* 465. quare apud Indos, qui maximi criminis reus agitur,

agitur, hanc luit noxam, ut a Rege tonderi jubeatur, qua pœna nulla insignior fuit. Alex. ab Alexandr. *gen. dier. l. 3. c. 5.* idem de Candiotis sive Cretensibus refert Thevetus: eandem pœnam sufferunt in Insula Iava illi, qui feminarum aliquam ad custodiam Regis lectarum compresserint: vid. vergnügliche Lust-Stunden: *p. m.* 129. ja in Rußland hält man es vor der grösten Schimpff wenn man einen beym Barte zupffet. vid. der gelehrte Criticus *qu.* 100. qua motus ratione Fridericus Imperator pœna eos pecuniaria multavit qui læsæ barbæ rei essent, in *Constit. de Pace tenenda. 2. F. 27. §. siquis aliquem ceperit, & absque sanguinis effusione percusserit, vel crines ejus aut barbam expilaverit, decem libras ei, cui injuria illata esse videtur, per compositionem impendat, & judici viginti libras persolvat:* in hoc Comitatu debent solvere quinque Imperiales: vid. Land-Recht. *part. 5. tit.* 16. §. 4. Wer einem die Haar auf dem Kopff/ den Bart geheel/oder zum theil ausropfft/ soll fünff Reichsthaler Straff geben. Immo putat Baldus *in l. Reos C. de accusat. n. 6.* eos ita puniendos esse, ac si membrum aliquod corporis rupissent. vid. Menoch. *lib. 2. de arb.*

*jud.*

*jud. cent.* 4. *c.* 39. *n.* 32. Quamvis Paulus Zacchias *in Quæst. Med. Legal.* ridiculum prædicet, qui barbam pro membro habet, cum ne quidem sit pars alicujus membri, non secus ac extremi unguiculi, qui quotidie forcipibus resecantur. *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 3. *q.* 5. *n.* 17. Imo non tantum habetur pro injuria, quando quis alteri barbam vellit, verum etiam si quis in invidiam alterius capillos assumat, vocet exerat, oculos distorqueat, aut barbam demittat. *l.* 15. §. 27. *ff. de injur.* Berlich. *pag.* 4. *concl.* 59. *n.* 112. quamvis enim barba faciat ad dignitatem auctoritatemque, *barba tamen majori uti Romanis summo dedecori fuit:* Gothofred. *in not. ad all. l.* 15. §. 27. Verum uti hæc ultima verba vides pro ratione à Gothofredo conscripta esse, ita ea (licet Cujacius dicat esse verissima *lib.* 6. *Obs.* 5. *in fin.*) non anhelo facere mea: quia, sicuti jam supra probavi, prolixa demissaque barba Romanis non fuit dedecori, sed summo honori & venerationi; præprimis cum *d. l.* 15. §. 27. auctorem habeat Ulpianum, qui vixit tempore Alexandri Severi, apud quem primus erat, unde & ejus *Parens l.* 4. *C. locat. cond.* i. e. *amicus* vocatur: *l.* 4. *C. de contr. stip.*

atqui

atqui tunc temporis erat prolixa barba in tanto pretio, honore ac loco, quanto olim (licet nec antea dedecori fuerit, prout late ostendit Erasm. Francisci *in part. tert.* der lustigen Schau-Bühne *pag.* 1040. *& seqq.*) nunquam fuerat, ita constituente Imperatore Ælio Hadriano: quid, putares longiorem barbam Romanis dedecori fuisse, ubi tamen ipsorum Deorum statuæ bene barbatæ apparent? quid dedecori Gothofrede? immo summo decori & reverentiæ: an crederes illos, qui defunctos lugebant,& in eorum honorem, tetricæque mæstitudinis significationem barbas demittebant, voluisse eos contumelia afficere, aut aliquo dedecore notare? minime gentium: & quis est adeo hospes in antiquitatibus, ut nesciat viros Romanos tempore luctus aluisse comam, & barbam submisisse: fecit id Nero apud Ovidium defuncto Druso: cœpitque *pallida projecta flere per ora viri:* nil minus Caligula ob Drusillæ interitum apud Suetonium, *in Calig. cap.* 25. ibi: *rursusque inde propere rediit, barba capilloque promisso.* Nam uti mulieres in luctu tondebantur, Anton. de Guevara *op. hist. pol. pag. m.* 516. ita alebant viri è contrario comam barbamque:

bamque: Plutarch. *Problem. c.* 13 Senec *de benef. lib.* 5. *c.* 6. ita *conjecto in carcerem Manlio Capitolino constat magnam partem plebis vestem mutasse, multos mortales capillum ac barbam promisisse:* Liv. *l.* 6. *c.* 16. Cato quoque, videns civile bellum parari, non pavisset tantum gausape, si ejusmodi fuisset barbitium dedecori aut vituperationi: negas eum multibarbum fuisse? en Plutarchum: ἀπ' ἐκήνης δὲ λέγεται ἡμέρας, μήτε κεφαλὴν ἔτι κείρασθαι, μήτε γένεια, μήτε στέφανον ἐπιθέσθαι, πένθους δὲ κατηφείας καὶ βαρύτητος ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς τῆς πατρίδος, ἓν σχῆμα νικώντων ὁμοίως καὶ νικωμένων, ἄχρι τελετῆς διαφυλάξαι. en etiam Lucanum. *lib.* 2. *Phars.*

*Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore*
*Cæsariem, duroque admisit gaudia vultu:*
*Ut primum tolli feralia viderat arma,*
*Intonsos rigidam in frontem descendere canos*
*Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.*

Legimus et græcos eodem modo suos defunctos luxisse apud Alex. ab Alex. *gen. dier. lib.* 3. *c.* 7. dicentem: *qui mos apud Barbaros inolevit frequens, ut in funere & casibus adversis juvenes tonderent comam, barbam ipsi ponerent: apud Græcos convenit, in luctu viros comas alere, barbam capillumque summittere:* ipse Imperator Augustus audita clade Variana barbam per aliquot menses demisisse dicitur.

Stangefol. *ann. circ. Westph. a. c. 9.* idem fecit Iulius Cæsar ob cladem Turrianam: Bonifac. *Ludicr. Hist. lib. 12. c. 20.* Ægyptii contra atque Assyrii pascebant capillos suos, barbam vero recidebant: Herod. *lib. 2. Ægyptii*, inquit, *in funeribus sinunt capitis crines augescere, barbam tamen tondent.* Immo Persæ non solum conjugibus & liberis suis in luctu tondebant comas, sed insuper etiam jumenta atque equos simili glabrabant modo: Curt. *lib. 10. Geier. de Ebr. luct. c. 8. §. 5.* Thessali quoque ac Thebani totonderunt ob mortuum Pelopidam, homines pariter ac equos cœteraque jumenta: Plutarch. *in Pelop.* ratio igitur, ob quam ille qui ad invidiam alterius barbam demittit, injuriarum tenetur, non est sita in longitudine barbæ, quasi major barba Romanis summo dedecori fuerit, sed quod eandem habeat promissam ad invidiam alterius, alias enim foret dicendum, quod & vestis lugubris Romanis dedecori fuerit cum in allegata lege ille quoque injuriam intulisse dicatur, qui ad invidiam alicujus veste lugubri utitur: verba legis sunt hæc: *Hæc autem fere sunt, quæ ad infamiam alicujus fiunt, ut puta ad invidiam ali-*

*alicujus veste lugubri utitur, aut squalida: aut si barbam demittat, vel capillos submittat:* nemo autem non videt hic in specie requiri, ut barba demittatur ad infamiam sive ad invidiam seu, ut inquit glossa, ad injuriam alterius, ergo non tenetur injuriarum propter longam istam barbam quasi aliquod isti dedecus inesset, sed quod eandem assumserit demiseritque ad injuriam alterius, consistit enim injuria ex affectu facientis: *l.* 3. §. 1. *ff de injur. l.* 53. *ff. de furt.* Hac igitur ratione rejecta videndum est, numne ille cui barba evulsa est possit in puncto injuriarum contra injuriantem executive agere ad recognoscendum? mirabitur quæretque fortean Stoicus aliquis ἀπαθὴς, qui talis quæstio à nobis formari possit, cum non modo rarissimus talis sit casus, verum etiam ridiculus videatur: at sciat qualiscunque is fuerit Areopagita, leges de casibus etiam raris nonnunquam ferri, immo, ut ferantur, etiam consultum et bonum esse, quid enim si rarus aliquis casus in facto extiterit, & judici super controversia de eo mota pronuntiandum sit, nonne existimas eum jus cuique suum facilius, citius & melius tribuere posse, si legem aliquam habeat

 præ-

præscriptam, quam si magno curarum æstu fluctuare debeat, nescius quid juris, aut quid statuendum sit: ergo salutare quoque est, ut leges de casibus quibusdam raris quandoque constituantur: vid. quæ dixi in *Comment. theor. pract. ad Lauterb. pag.* 83. & ut scias casum à nobis propositum contingere non tantum posse, sed & revera contigisse, quæso inspicias tractatum Clar. Dn. Iac. Frid. Ludovici, cui titulus, Einleitung zum Civil-Procesſ: ubi sequentia: Wir wollen die Sache mit ein paar artigen Exempeln erläutern/ welche vor einiger Zeit an einem gewissen Ort vorgekommen: Es hatte ein gewisser Kauffmann etliche Stücke Leinwand gekauffet/ wie er aber dieselbe aufmachte/ fand er/ daß sie inwendig verdorben/deswegen klagte er ad interesse, übergab die Leinwand bey der Klage/ und baht das Gegentheil zu derselben recognition anzuhalten: Ingleichen schnitte ein loser Gast einem Juden ein Stück von seinem Baarte mit der Schere ab/ um einen Possen zu machen/ der Jude zog sich solches zum Schimpff/ klagte executive in puncto injuriarum, und producirte die abgeschnittene Baart-Haar ad recognoscendum: Es fragte sich nun ob der Processus executivus statt

statt finden könne: und ward mit nein geantwortet/ aus dieser Ursachen. Was einer selbst oder sein Vorfahr geschrieben/ oder schreiben lassen/ das ist ihm bekand/ und kan aus denen Zügen oder Buchstaben gar leicht judiciret werden / ob es die rechte Schrifft sey / oder nicht / weil wol gar wenige Leute gefunden werden / welche in allen einerley Art die Buchstaben zu machen haben/ uñ weil man doch / wenn man gleich den Vorfahren / dessen Schrift es seyn sol / nicht gekand hätte / dennoch aus andern desselben Schriften wenigstens eine starcke probabilität überkommen kan/ ob ers geschrieben habe / oder nicht: was hingegen andere Sachen / als in unsern Exempeln die Leinwand und Baart-Haare anbelanget/ da hat man solche gewisse äusserliche Kennzeichen nicht/ daraus der Grund der Klage so gleich vest gesetzet werden möchte/ weil unterschiedliche Stücken Leinwand/ unterschiedlicher Leute Baart-Haare sich öfters gar gleich sehen. Wie denn auch / wo mir recht ist / des bekagten Advocat in dem Process mit dem Juden sich über das wunderliche Ansinnen mocquiret und vorgegeben / daß die producirte Haare mehr denen Schweinsborsten/ als Baart-Haaren ähnlich sehen und es nicht wahrscheinlich sey/ daß selbe einen Juden aus dem Baart geschnitten

ten worden. Hactenus Dn. Ludovici: vides ergo quæſtionem noſtram haud diobolarem eſſe, nec de lana caprina, vides eam caſu quodam, qui re vera extitit confirmari & illuſtrari, vides quid in tali caſu judici faciendum ſit, vides Proceſſum executivum ad recognoſcendum expilatam barbam locum non habere, & recte: Proceſſus enim executivus, moribus hodiernis originem ſuam debens, non admittitur aliter, niſi ubi cauſa ita comparata eſt, ut actor ex inſtrumento quodam, in quo vel ipſe reus, vel ejus heres nominatus eſt, ſuam intentionem in continenti probare valeat: Dn. Ioh. Balth. Wernher. *comp. Iur. lib. 4. tit. 28.* §. 3. Vocatur id inſtrumentum à DD. guarentigionatum, ſive guarentigiatum à *guaranda ſeu guardia*, vel *vvardia*, quod cautionem ſecuritatemque notat, à germanica voce gewehren/warten. Beſold. *th. pract.* voc. *guarentigiatum inſtrumentum*: Lauterbach. *Coll. theor. pract.* 22. *tit.* 4. §. 47. quod ſi actor tale inſtrumentum in originali produxerit, cogitur reus id recognoſcere, aut jurato diffiteri, habetque ea recognitio hunc effectum, ut ea facta actor ſtatim executive agere poſſit. Cz. *p.* 1. *c.* 18. *d.* 43. & licet hic modus proceden-

di

di sit contra jus civile Romanum, utpote quod lites ab executione non inchoat, sed servato ordine actionem adversus reum institui jubet *l.* 1. *C. d. exc. rei jud. l.* 9. *C. de prob. seq.* moribus tamen hodiernis fere ubique est approbatus, & in viridissima observantia. Mev. *p.* 3. *D.* 179. *n.* 1. Stryck. *de Cautel. juram: p.* 3. *§.* 3. *c.* 5.

*Th.* 14.

Nemo, cui vel mica salis est, non animadvertit, quam sancta, quam religiosa haberi debeant juramenta: quid enim sanctius, quam illud, quo *mentem* nostram Deo *sacram* facimus, unde & *Sacramentum* dictum, quid religiosius, quã illud, in quo nobis res est cum ipso Deo, unde & *Religio* appellatum *l.* 24. *ff. de jurej.* quid sanctius & religiosius, quam illud, quo non servato pietas in Deum violatur, & fides erga proximum: hinc Sophocles *in Hypodam.*

*Apposito jurejurando cautior & diligentior*
*Animus fit, a duobus enim sibi cavet,*
*Et ne lædat amicos, & ne peccet in Deos.*

Caveat igitur sibi unusquisque, ne ad negotium adeo sanctum adeo religiosum temerario quodam ausu prosiliat, sed si præstandum, debita id præstet cum reverentia ac pietate, ne alioqui temporales atque æternas pœnas sufferre co-

gatur: putat Gulielm. Stuck. *lib.* 1. *de Sacrif. gent. fol.* 91. Juramentum ob hanc causam à Græcis vocari ὅρκον, quasi *Orcum*, eo quod jurisjurandi violatores ad orcum remittendi sint: sane non est Deus sanctissimus Spectator otiosus, neque sic abibit perjuris ista temeritas: solebant Romani eapropter inter jurandum lapidem projicere, dicentes: *si sciens fallo, ita me Diespiter salva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Plaut. *in Bacchid.* vid. Hering. *de fidejuss. cap.* 19. *n.* 144. Possem hic multa exempla in medium proferre, atque ostendere, quomodo Deus perjuria puniverit, sed parcendum est illis, dum ad scopum propero: unum tamen, quod aliquando in Historia Bonifacii legi sicco pede præterire non possum: nimirum, Adelgerus Sacerdos legaverat S. Martino bona sua immobilia, verum cum eo defuncto fratres superstites Aspertus & Trutmandus omnia ejus bona invaserant atque Sedis Catholicæ Advocato eos convenienti & interroganti quo jure id fecissent responderant, se id jure & merito fecisse, paratosque id interposito jurejurando confirmare, cumque eo præstito Bonifacius (antea Winifridus dictus, **weil er den Frieden des Glaubens gewinnen**

**würd**

würde) viderat eos pejerasse, & propterea in hæc verba proruperat,

Daß du gethan ein falschen Eyd /
Das wird dir bringen Weh und Leyd:
Ein böses Thier wird tödten dich /
Nach dieser Zeit / dich des versih.

factum est, ut tandem rabidus quidam ursus Asportum ejus interficiendi causa profectum dilaniaverit: ita est Deus non modo testis, verum simul etiam vindex juramentorum: & licet variæ jurisjurandi formulæ pro diversitate gentium reperiantur, fuit tamen omnibus, modo legitimè sit præstitum, æque sacrosanctum: nam sicuti cœca antiquitas sibi multivarios finxit Deos Deasque, ita non potuit non esse, quin etiam alias atque alias comminisceretur juramentorum formulas, & vel eruditiuli sciunt tot Romæ Deos fuisse, quot in urbe cives: unde Brusilius Philosophus moriturus dicebat, Romulus prima posuit urbis fundamenta, Numa Pompilius capitolium extruxit, urbem muris circumdedit, Annius Martius, Brutus eam à tyrannis liberavit, Camillus Gallos ejecit, Quintus Cincinnatus imperium auxit, ego vero magnum vobis relinquo Deorum acervum, qui urbem me-

lius defendent, quam muri aut homines: reliquerat enim 280000. Anton. de Guevara *Horol. Princ. c. 3.* non enumerabo illos, nam ingentem acervum struxerunt Alex. ab Alexandr. *lib. 6. gen. dier. c. 4.* Pomey *panth. myth.* Rosin. *in antiq.* Petr. Franc. *orat. 4. in encom. gall. gallin.* & alii: illud autem maximam movet admirationem, quod nonnulli tanta caligine obducti fuerint, ut & res quascunque vilissimas divino honore affecerint, coluerint, adoraverint, quemadmodum de Ægyptiis testatur Juvenalis *sat. 15.*

*quis nescit qualia demens*
*Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat*
*Porrum & cepe nefas violare, & frangere morsu,*
*O sanctas gentes quibus hac nascuntur in hortis*
*Numina!*

Persæ contra & Chaldæi maluerunt Soli & Lunæ rem divinam facere, quo honore in Mexicana provincia ornatur Vitziliputzli, eundẽ deferebant Germani (quos Cæsar male scribit nullis studuisse sacrificiis, licet Deos, teste Tacito, parietibus non cohibuerint) olim Vulcano, Lunæ & Soli: Cæsar *de Bell. Gall. 6. c. 21.* quorum significatione alii existimant eos respexisse ad stupendum Trinitatis mysterium, quasi per *Solem* intellexerint Deum Patrem

trem, per *Lunam* Deum Filium, per *Vulcanum* Spiritum Sanctum, cui sententiæ tum opitulari videtur, quod Germani unum Deum Mannum agnoverint, atque tres hujus Dei filios: vid. hon. Dn. Patris mei *Armin. pag 78. & seq.* ut merito quæsieris, cur saltem tres? quare non plures, aut pauciores? sed relinquamus hæc cum maxime in medio quid dicam de illis, qui & ipsum feminarum vasculum (de cujus miranda vi multa congessit Bonifac. *in Lud. Hist. lib. 16. cap. 8.*) pro numine coluerunt, atque ex sesamo & melle fictum inter tesmophoria circumtulerunt? hon. Dn. Parens *in Diss. de Domin. marit.* quam vides in *Syllog. Differt. pag. 660.*

*Quis talia fando*
*Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssei*
*Temperet à lachrymis.*

notabile etiam est famosum illud Idolum, quod in arce Rotenburg antiqui sub specie alicujus deformis atque obesi pueri adorarunt, *Püster* dictum, unde adhuc hodie solemus hominem bene sagiatum, ventricosum, & corpolentum vocare einen dicken Püster. vid. Berckem. *Cur. ant. p. 1. pag. m. 267.* immo quid miramur Ægyptios adorasse plantas & arbores, cum

&

& in Germania nostra, nimirum in certo quodam Hassiæ inferioris tractu arborem, quam *Iovis arborem* vocabant, eodem modo salutaverint, teste Ioh. Lentznero in Historia Bonifacii, ubi ita inquit: Im Untern-Hessen/in der Herrschaft Schonenberg, da jetzund die Stadt Geismar gelegen/ hat Bonifacius den grossen und ungeheuren Baum (Iupiters Baum genannt/ welchen der Oerter herum das Volck/ als einen Gott verehret/ und angebehtet) mit Hülff seiner Diener abgehauen/ welches zuvor die Leut für unmöglich geachtet: in eodem honore arbores esse in regno Catayæ recenset Haithon. Armen. *Hist. Orient. c. 1. p. m. 2.* Paxones contra singulari pietate devenerati sunt Irmensulam, de qua sequentia notat Gubelinus Persona in Cosmodromio: *Sciendum est de doc idolo Irmenseul, quod Mercurius apud Græcos Hermes dicitur, & quia Saxones olim de Græcis sunt exorti, hunc Mercurium, secundum linguam Græcam, quasi honorabiliori nomine, Hermin, seu Irmin, nominabant.* Speciosa quidem hæc explicatio videtur, sed illorum adhuc speciosior, qui in Arminii seu Hermanni, fortissimi Germanorum Ducis honorem hanc Irmensulam exstructam, atque divino cultu postea celebra-

bratam autumant, ita ut hinc audiat *Hermanni Sula*, nam veteres Saxones vocarunt Statuam, secundum Meibomium *in Dissert. de Irmensula*, Sulam, unde adhuc hodie Seul: idem sentit Joh. Groningius in *Histor.* der heutigen Religionen dum inquit: die Sachsen haben insonderheit die Irmenseul als etwas göttliches angebätet / und mit einem sonderbahren Tempel verehret: zwar sind einige / die hierdurch gleichfals den Mercurium verstehen / allein gar unfüglich / massen es nicht anders als eine Statue zu Ehren des teutschen Arminii oder Heermans gesetzet / gewesen: Contra putat Masius *in antiq. Meckleb. c. 1. §. 6.* Irmensulam truncum fuisse ligneum & informem ac *Irmenseul* dictum, quasi jedermanns Seul / propterea quod Saxones universalem aliquem Deum, verum numen, sed ignotum, eo denotare voluerint, non secus ac apud Athenienses Ἀγνώστῳ Θεῷ ara consecrata erat. Potgieser. *de Condit. & Stat. Serv. lib. 1. c. 2. §. 31.* verisimilior tamen est opinio honorandi Dn. Patris mei, existimantis statuam istam Herminsulam neque Arminio, neque Mercurio, sed Herminoni, Manni filio, Tuistonis nepoti devotam fuisse, tum ob nominis affinitatem, tum quod ad aliam, quam ad Her-

Herminonem Herminſula commode referri nequeat, neque enim probabile eſt antiquis Germanis, populo nullis aliis aliarum nationum, connubiis infecto, cognitum fuiſſe Mercurium, multo minus eos unquam ducibus exercituũ ſuorum bellicis aras excitaſſe aut columnas: ſed quid opus eſt hiſce longius inhærere? niſi ut videamus, quantas nos omnipotenti Deo gratias debeamus agere, qui nos per gratiam Spiritus ſancti ita illuſtravit, ut nunc ſatis ſuperque convicti ſimus, quisnam verus ſit Deus atque Diſpenſator mundi, adorantes unam Deitatem, unam Poteſtatem, Trinitatem Conſubſtantialem, confidentes Dominum noſtrum Chriſtum unigenitum Dei filium, ex Deo verum Deum, ante ſæcula & ſine tempore ex Patre natum, coæternum Patri, ex quo omnia & per quem omnia: *l. 6. §. 1. de ſumm. Trinit.* Debeo tamen, ut ad ſcopum perveniam, de diverſis juramentorum formulis, aliquam mentionem adhuc facere, & ecce, quomodo Romani ſibi invicem fidem adſtrinxerint, juraverintque, conſtat vel ex hocce Plauti:

*Ita me Iupiter, Iuno. Ceres,*
*Minerva, Latona, Spes, Opes, Virtus, Venus,*
*Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,*
*Sumanus, Sol, Saturnus, Diique omnes ament.*

Græ-

Græci contra dicebant ſacramenta per amnes, per fontes, per undas fluentes, Alex. ab Alex. *lib. 1. gen. dier. c. 10.* per terram, uti Romani quoque per ſolem & terram. Virgil. *12. æneid.*

*Eſto nunc teſtis Sol, & hæc mihi terra precanti.*

Thebæi per Oſiridem, Diodor. Sicul. *lib. 1. c. 2.* Scythæ per ſolium Regis, per ventum, per acinacem: Ægyptii per allium, per porrum & cepas: alii rurſus per capparim, per crambem, per anſerem, per canem & platanum, vid. Excell. Thomas. *jur. Divin. lib. 2. cap. 9. §. 46.* per quercum & hircum, per obſcænos & fœtidos cibos, per menſam & fruges, per dulce oſculum, Pufendorf. *de jur. nat. lib. 4. c. 2. §. 3.* per ſalutem & genium, per vinum, Anton. de Guevara *de conv. & Comp. p. 173.* per caput & oculos, Juvenal. *ſat. 15.*

*ſed jove nondum*
*Barbato, nondum græcis jurare paratis*
*Per caput alterius.*

quid igitur mirum, quod nonnulli & barbam in eodem habuerint honore, atque per eam juramenta interpoſuerint: ſane tanta erat apud Græcos barbæ veneratio, ut per eam veluti per ſacram divinamque rem obſecrarent ac dejerarent, atque jusjurandum per barbam præſtitum ſummo-

mopere sanctum & inviolabile æstimarent: Bonifac. *Lud. Histor. lib. 4. cap. 28.* eadem auctoritate etiam in Germania eam floruisse monstrat juramentum Barbarossæ, veluti in *Proverb. German. pag.* 397. observavit Agricula: Ich wil es halten bey meinem Bahrte. vid. joh. Nicolai *Diatrib. in juram. Hebræor. Græ. Rom. cap.* 5. §. 6. Kayser Otto schwuhr niemahls höher als bey seinem Bahrte / welcher ziemlich lang und dicke war / hielt auch solches Versprechen / als ob es endlich wäre bestätiget worden. vid. der geleh te *Criticus qu.* 100. de Alarico Rege Gothorum narrat Idacius ad antiquum Collectorem Chronicorum, quod in perpetuam pacis conservationem barbam tetigerit Clodovæi Regis Francorum: tanta enim erat reverentia barbæ, ut si quis vel eam tetigisset, idem esset, ac si juramento sese obstrinxisset: quapropter Joscelinus rusticus, quod perfidum sacramentum per barbam dixerat, à Deo, veteri si gratia famæ, ea privatus dicitur, referente Abrahamo à S. Clara in *tr. Judas* der Ertzschelm. hisce verbis: wie es jenem Baurs-Mann Namens Joscelino ergangen / wie dieser einen falschen Eyd über die Heylthümer des H. Martyrers Mauri abgeleget / und zugleich zu mehrerer

rerer

rerer Bekräftigung seines Juraments, seinen langen Bart in der Hand hielte / ist ihm solcher durch göttliche Straff alsobald ausgefallen / daß er den gantzen Bart hinweg gezogen.

*Th. 35.*

Et tu, mi Palæophile, barbatum dum contemplabaris Æsculapium præ summa admiratione obstupescebas? Pomey *panth. myth. p.* 265. desine mirari, nam & plura tibi dabit Mystagogus: ecce veteres Romanos adeo auspiciis deditos fuisse constat, ut post urbem conditam, cœca superstitione, ac prava ista religione ducti, nihil bello vel pace domi militiæque ageret, nisi auspicato, & quidem quinque genera, inquit Festus Pompejus *lib.* 15. signorum observant augures, ex cœlo, ex avibus, ex tripudiis, ex diris, & ex quadripedibus, uti lepus inter alia infaustum & mali ominis animal habebatur, hinc Pierius Valerianus.

*Inauspicatum dat iter oblatus Lepus.*

quam ob causam Ratgerus, Dux Brugensium, viso aliquando lepore nullam vultus constantiam retinuisse dicitur: Math. *theatr. hist. in Dar. Hyst. ax.* 2. fuitque Xerxis cum Atheniensibus dimicaturi fuga velut in imagine depicta, conspecto in

H Per-

Persarum castris, quem equus ediderat, lepore: vid. Victor. Stringel. *comm. in Justin. p. m. 57.* ita fuit sæpe etiam barba alicujus imminentis infortunii augurium, nam ut de quinque extremitatibus in Ebræorum barba observandis nil addam, de quibus vid. Maimonid. *c. 12. Afoda Sara* §. 5. notanda solummodo hanc in rem sunt verba Alexandri ab Alexandro *gen. dier. lib. 6.* narrantis: *mirum quoque quod circa Halicarnassum antistiti Minervæ evenire traditur, ut quoties Amphictiensibus, qui ea loca incolunt, aliquid adversi casurum foret, grandis illis nascatur barba, quasi eo portento futuras illas calamitates respondere, sicut in terra Curia, mulieribus templo dicatis, pilos in genis aut mento innasii, futuræ divinationis signum erat.* Ejusdem virtutis est campama Barcellonensis, quam sponte sua sonitum dare scribunt, quoties Regno Hispanico fatalis quædam mutatio imminet: Berckem. *Cur. antiq. p. 1. pag. m. 27.* de apibus vid. Silius Ital. *l. 8. v. 636.* & in genere Augustinus Niphus *de Augur.* Peucerus *de Divinat.*

*Th. 16.*

Inter omnes, quos antiqui coluere, Deos nullus tot diversis nominibus reperitur Insignitus, quot Bacchus, ut merito cum Cele-

Celeberr. Dn. Schvvelingio cur Societas Conjugalis vocetur, *Conjugium*, *Connubium*, *Matrimonium*, *nuptiæ* in Recensione Philosophiæ §. 829. inquirente respondendum sit liebe Kinder haben viele Namens: nimis foret longum ea omnia hic recensere, atque articulatim examinare, è re tamen est nostra, ut maximæ eorum principalisque partis, quam Ovidius 4. *metam.* hisce complexus est versiculis in præsenti unum alterum exponamus: ita autem Naso.

*Bacchum vocant, Bromiumque, Lyæumque*
*Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem,*
*Additur his Nyseusque, indetonsusque Thyoneus.*
*Et cum Lenæo, genialis consitor uvæ,*
*Nycteleusque, Eleusq; parens, & Iacchus & Euan,*
*Et quæ præterea per Grajas plurima gentes*
*Nomina Liber habes.*

Vides eum ibi habere quoque nomen Lyæi, vides eum ibi etiam vocari Liberum, sive uti est apud alios, Liberum Patrem: quare autem & unde id ei nomen sit impositum, quæstionis est Domitianæ, i. e. omni dubio carentis: vid *l. 28 ff. qui test. fac.* Feltman. *de jurej. in alt. anim. cap. 5. p. m. 115.* *Lyæus* enim vocatur ἀπὸ τοῦ λύω, *i. e. solvo*, *libero*, eo quod solvat animi curas & anxietates, Ovid.

*Cura fugit multo diluiturque mero:*
*Tunc veniunt risus, pauper cornua sumit,*
*Tunc dolor & cura, rugaque frontis abit.*

*Horat. lib. 3. od.* 21.

*Tu lene tormentum ingenio admoves*
*Plerumque duro: tu sapientium*
*Curas & arcanum jocoso*
*Consilium retegis Lyæo.*

vid. Cruq. *ad Horat. lib.* 1. *od.* 7. appellatur *Liber*, tum quod devictis hostibus se cum suis in libertatem vindicaverit: Dempster. *ad Rosin. antiq. lib.* 2. *cap.* 11. tum quod vinipotores efficiat joculares & facetosos, eos liberet ab omni sollicitudine, atque, ut cum Romuli nepotum facundissimo loquar, omnes spinas ex eorum animo excutiat: unde & *Pater* audit: nam ut Patris est gignere, ita & tutari, conservare, & liberare: Cruq. *ad* 1. *Horat.* 12. verum hic posset aliquis non immerito ex nobis quærere, quo queat sensu Bacchus vocari *Pater*, cum tamen passim conspiciatur ut juvenis, & quidem ut juvenis adhuc imberbis, ætate junior, facie levi, glabra, virginea, Laurent. Berger. *thes. Elect. Brand. tom.* 1. *pag.* 15. Ovid. 4. *metam. v.* 17. *& seqq.*

*tibi enim inconsumta juventa*
*Tu puer æternus, tu formosissimus alto*

Con-

*Conſpiceris cœlo: tibi cum ſine cornibus aſtus*
*Virgineum caput eſt.*

at facile eximetur hic ſcrupulus, ſi quis cogitet, nomen illud *Pater* eſſe generale omnium Deorum epitheton, nihilque aliud, niſi divinitatis autoritatisque ſignum, ſæpius etiam hominibus diverſisque rebus ob eandem rationem attributum: Virgil. *3. æneid. v. 89.*

*Da Pater augurium, atque animis inlabere noſtris,*

*& lib. 8. v. 28.*

*Cum Pater in ripa gelidique ſub ætheris axe*
*Æneas,*

hinc Pater Apennius, Pater Tiberis, Pater Rhenus, hinc etiam Luna mater, mater Matuta: &c. nondum tamen video, qui huic reſponſioni atque explicationi tam nude tamque ſimpliciter auſim ſubſcribere, licet enim lubens concedam, vocabulum iſtud *Pater* ſignum eſſe divinitatis & autoritatis, uti cum dicitur, Pater Iupiter, Pater Pluto, Pater Neptunus, Pater Saturnus, Pater Ianus, Æneas Pater indiges, apud Sext. Aur. Vict. *de. orig. gent. Rom.* nusquam tamen obvium eſt, Diis etiam juvenibus, iisque adhuc imberbibus idem nomen impertiviſſe Romanos, ridiculum enim foret, ſi quis diceret, *Pater Cupido*: quare nec Baccho

nomen istud conveniet, quando ut intonsus aliquis puer consideratur, aut ut imberbis juvenis: nihilominus tamen & Pater est: tum scilicet, cum barbatus est: varium enim fuit simulacrum ejus, modo juvenili ætate, ac facie plane imberbi, modo senili, atque bene barbata, ut proinde possit & juvenis esse, & simul etiam Pater dici, imberbis pariter atque barbatus: at unde tam diverse? nimirum, quia inter ebriolatos, quamdiu madidi sunt vino, nulla nec ætatis, nec sexus ratio habetur, nulla annorum, differentia, sed omnia susquedeque feruntur, adeo ut quandoque senes nescio in quas apinas tricasque delapsi repuerascere, & peccando in gravitatem barbæ se ea quasi indignos reddere videantur: alii comminiscuntur adhuc alias rationes, inter quas nec illa, quam illustris Cuperus in Harpocrate quoque tangit, nullatenus contemnenda est, quod Bacchus ob hanc causam simul barbatus sit & imberbis, quia omnis ætas, puerilis, juvenilis, senilis illi choreas agit: nisi malis causam arcessere à diverso, quem vinum operatur, effectu, ejusque virtute & robore, ita ut Bacchus modo sit barbatus senex, quia vinum si extra modum sumitur, vires exhaurit, modo ut imber-

berbis juvenis, quia crescit à vino, adhibita moderatione, robur: Pomey *Panth. myth. p. 61.* quæ rationes, ut ut sint veræ atque bene notandæ, tamen non deducunt causam ab origine, neque sunt adeo prægnantes, ut quis sibi persuadere possit, earum unam aut alteram in simulacro barbati & imberbis Bacchi ab antiquis adumbratum esse, verisimilius ut sit, eos per Bacchum barbatum ad Solem, per imberbem ad Lunam, utpote cum hæcce duo pro Diis coluerint, respexisse, nam fuit simulacrum Bacchi ita etiam ab antiquis variatum, ut modo puerum, modo juvenem, modo virum, modo senem repræsentaret, atque eo ipso quatuor anni tempestates ostenderet. *Macrob. lib. 1. sat. 18*

*Th.* 17.

Accedite quotquot estis memoriarum veterum exsequentissimi, vos inquam qui in scrutatione morum ac rituum diversarum gentium unguem medium abroditis, dicite mihi, quænam est illa civitas, ubi barba & pediculus Consulem faciunt? miramur Darium Hystaspis filium beneficio equi obtinuisse Persarum regnum, Iustin. *lib. 1. cap. 10.* at cui non majorem movebit admirationem

 sin-

ſingularis Hardenbergenſium conſules eligendi conſuetudo, ſolet enim in medio rotundæ menſæ,cui Quirites aſſidentes ſinguli ſuas barbas impoſuerunt, pediculus aliquis collocari, illeque unanimi conſenſu ſalutari conſul, cujus barbam innocens beſtia prius petiit: meretur hac de re legi elegans carmen Petri Danielis Huetii, quo huncritum memoriæ prodidit, & eſt ſequens:

*Mox Hardenbergam ſera ſub nocte venimus:*
*Ridetur nobis veteri mos ductus ab ævo:*
*Quippe ubi deligitur revoluto tempore Conſul,*
*Barbati circa menſam ſtatuuntur acervum,*
*Hiſpidaque imponunt attenti menta Quirites:*
*Porrigitur ſeries barbarum deſuper ingens:*
*Beſtia, pes, mordax, ſueta intercreſcere ſordes,*
*Ponitur in medio: tum cujus, numine Divum*
*Barbam adiit, feſto huic gratantur murmure Patres*
*Atque celebratur ſubjecta per oppida Conſul.*

Hocce riſum tibi elicit amice Lector? at forte voluerunt Hardenbergenſes per pediculum ad barbam candidati adrepentem de officio boni conſulis eum admovere: barba enim eſt ſignum gravitatis, pediculus conſtantiæ, unde pediculi ab Hebræis vocantur *chinnim*, à verbo *chonen*, quod *firmare* ac *ſtabilire* ſi-

ſignificat. vid. Sam. Bocchart. *Hierozoicon. lib. 1. cap. 9. part. 2. n. 60.*
*Theſ. 18*

**Getreuer Herr/getreuer Knecht**: ita ſe habet parœmia, qua Feudiſtæ mutuam fidelitatem, quæ Dominum feudi inter eſt & vaſallum, ſolent exprimere, hon. Dn. Parens *ad Feltman. feud. not.* 24. quæ tanta eſt ut vaſallus intuitu ejus Domini ſui conjux dicatur, 2. *F.* 58. Dn. Thyll. *ad Stryck. exam. cap.* 2. *qu.* 22. magnopere autem optandum foret, ut pulchrum iſtud proverbium non ſolum in Curia Feudali, verum etiam inter quoscunque ſuperiores & inferiores, in quocunque ſtatu, ac qualibet Reipublicæ facie, inter Principes & ſubditos, inter Magiſtratus & cives, ſpeciatim etiam inter Dominum & miniſtros æque locum obtineret: poterit Princeps, ſi ei libido eſt, uti eſſe debet, miniſtros ſuos trahendi in amorem ſui, hujus voti facile particeps fieri, ſi in moribus erga eos ſe gerat ut fratrem *Deut. 17. v. 20.* & in officio ut Patrem. *Eſai. 22. v. 21.* Ames. *de Caſ. Conſc. cap. 25. libr. 5. n. 12.* uti vero Patris officium eſt de liberis cogitare, iis vacare, Puſendorff. *de offic. hom. & civ. lib. 2. c. 3.* §. 11. ita & Principi, tanquam bono Pa-

tri, tum incumbet, eadem voluntatis inclinatione in officiales ſuos propendere, eorum labores & operas clementer munerare, atque, ne vento vivant, ſufficienti ſalario honeſtare, ſic enim efficiet, ut intra terminos officii ſui ſe continere, fidem in omnibus adhibere ac ſorte ſua contenti ei deſervire poſſint, cum, ſi ſecus fecerit, ſæpe contingat illos rerum gerendarum nervo deſtitutos falcem mittere in domini ſui meſſem, ipſeque princeps cum Selimo Imperatore Turcarum tandem etiam barbam ſibi præcidere neceſſe habeat, de quo S. G. M. *in nov. Nomoth. lib. 3. §. 63.* hæcce literis mandavit: der Türckiſche Kayſer Selim ließ ihm den Bart abſchneiden / welches ſein Vater und Vorfahrer nicht gethan / und ſprach: die Rähte haben meinen Vater ihres Gefallens bey dem Barte / wie einen Narren umgezogen / diß wil ich ihnen nun benehmen. Weil er aber die Naſen nicht auch laſſen abſchneiden / ſo führen ſie dieſen hernach bey der Naſen um / wie andern Stutz-Bärten mehr geſchicht.

*Thes. 59.*

Legatos ſingulari ſecuritatis gaudere privilegio, eorumque perſonas debere ſan-

ſanctas eſſe atque inviolabiles, uſu exigente & neceſſitatibus humanis ſicuti gentes conſtituerunt, ita & cum naturali ratione id convenire nemo non videt, dum enim Principem ſuum legatus repræſentat, neque aliter commode, niſi per hujus miſſionem, finis bello imponi, ſicque ſalus publica promoveri, ipſa autem miſſio haud exitum felicem ſine tali ſanctimonia ſortiri poſſit, conſequens eſt, ut conſtituto & probato jure Belli ac Pacis, Legati quoque ſancti & inviolabiles haberi debeant, ne alias conceſſa ad finem facultate, tollantur media ad eum obtinendum tendentia: Ill. Dn. Coccej. *Diſſ. de Legat. ſanct. non imp. c.* 1. *§.* 9. quare Legati Populi Romani ſagmina ferebant, ne quis eos violaret, & Græcorum cerycia: *lib.* 8. §. 1. *ff. de R. D.* dixi *de jure ſanctor. thes.* 2. *c.* 1. hinc inquit Cicero 3. *in Verr. Nomen Legati ejusmodi eſſe debet, quod non modo inter ſociorum jura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſetur,* Dn. Schvveling. *in Polit.* §. 119. item Cæſar *lib.* 3. *de Bell. Gall. nomen legati apud omnes nationes ſanctum inviolatumque ſemper fuit.* Cauti ſint igitur illi, ad quos legati mittuntur, ne horum ſanctitas aliqua in parte violetur,

vel

vel factis vel verbis injuriam inferendo, contumelia enim legato illata, non tam huic, quam leganti potius Majestati videtur illata, unde tum gravissimi exoriuntur motus, procellosæ tempestates, & tandem internecina bella, ita Corinthiorum urbis excidio periit, quod Legatos Romanorum sordibus urinarum turpiter perfuderant: Strab. *lib. 8. p.* 381. Flor. *lib. 2. cap.* 16. ita & ingentem cladem passus est Hanon, quod legatis à Davide missis barbam præciderat: *Paralip.* 20. *v. 4.* sunt talia exempla quam plurima, quorum aliquod conglomeravit Paschal. *de Legat. cap.* 20. nolo illa de charta in papyrum mittere, spectat tamen ad rem nostram, ut extremo saltem digito tangam, quomodo Venetorum legati exprobrationem, quam Imperator Romanus iis quod imberbes erant accessum ad aulam negando objecerat, aculeata subtilitate compensaverint, dicuntur enim respondisse, **daß wenn ihre Herren gewust / daß der Kayser zu den Bärten so grosse Lust hätte / so würden sie zwey Böcke zu ihm geschickt haben:** scilicet:

*Si promissa facit sapientem barba, quid obstat?*
*Barbatus poßit quin caper esse Plato.*

Th.

*Th.* 20.

Surgite Regni Cathayni boni γυναικοκρατέμενοι! aſpicite Venerem Fortunamq; barbatas! vos, qui juvenum inſtar barba caretis, ut Antiocheni, Mart. *lib.* II.

*Unus de cunctis animalibus hircus habet cor,*
*Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.*

proxime illis, qui in provincia Arcladam habitant, accidetis: ſolet enim mulier, poſtquam peperit, lectum quamprimum deſerere, & rei domeſticæ curam ſuſcipere, maritus autem lecto quadraginta diebus decumbere nati infantis curam gerens: ecce viri negotia tractant, Amazores, illum interim nidulantem viſitant conſanguinei, atque ita Hercules Omphalæ, Ottocarus Cunigundæ ſervit: Marc. Paul. Venet. *de Reg. Orient. lib.* 2. *cap.* 41. quemadmodum apud Agilæos feminæ viros ſuos in poteſtate habent agros colentes, ædes exſtruentes, operasque viriles obeuntes, Ann. Glyc. *p.* 2. Hiſce ego vos aliquatenus comparabo: barba enim feminarum inſtar caretis, adeoque eſtis ſimiles in eo feminis: ſane id videntur evincere quæ ex Heithone Armero verba profert Andreas Mullerus Greiffenhagius *de Cathaja*, *p. m.* 11. & 12. quorum te-

tenor hic eſt: *In ipſo regno Chatay plura ſunt mirabilia monſtroſa, quæ dicere prætermitto: homines ſunt ſagaciſſimi, & omni calliditate repleti, & ideo in omni arte & ſcientia vilipendunt omnes alias nationes, & dicunt, quod ipſi ſint ſoli, qui duobus luminibus reſpiciunt, Latini vero uno lumine tantum videant, ſed omnes alias nationes aſſerunt eſſe cæcas: & per hoc certiſſime demonſtratur, quod omnes alios reputant eſſe rudes, & vere tot res mirabiles & diverſæ, ac ineffabiles ſubtilitatis & laboris manuum ex illis partibus deferuntur, quod non videtur, eſſe aliquis, qui in talibus illis ſe valeat comparare: omnes illi de Regno illo Chathayni vocantur, & juxta nationes ſuas multi tam viri quam fœminæ pulcherrimæ reperiuntur: tamen omnes communiter parvos oculos habent & naturaliter barba carent.* Ohe egregios viros, tam ingenii quam menti perſpicui! non ſolum feminis ſimiles, ſed & aliquando pejores: illæ ſiquidem, quæ in Georgia ſive Gurgiſtam (quæ mari nigro & Caſpio interjacent, olim Colchis & Iberia dicta) illæ inquam immane quantum vobis antecellunt, nam æque ac viri barbam naturaliter habent, Jacob. Thomas. *Diſſ. de Barba c.1. lemm. 6.* omneſque in Æthiopiæ

piæ monte, cui Climax nomen, degentes mulieres, nam & hasce novimus prolixis incedere barbis, notante Riolano *de Hermaph. cap. 6.* sicuti etiam Abderæ mulier quædam, nomine Phaëtusa Phytei conjux barbata fuit, ut & Namisia in Thaso Gorgippi conjux, nec non Galla Consulis & Patricii Symmachi filia, item Helena Antonia apud M. Antonium Ulmum Philosophum Bononiensem *in Phys. Barbæ Human. Sect. 3. c. 11. p. 307.* Bartholomæus Ambrosius meldet von einer Frau / deren Bart bis auf den Nabel gereichet / ja sie sol einen Kamm vom Halse an bis auf den Rücken mit Haaren bewachsen / als wie ein jährliches Füllen getragen haben: vid. der gelehrte Criticus *qu. 58.* Est hæc equidem rara, ac miranda metamorphosis: & quis poterit sibi temperare à risu, ubi viros videt ambulare cum capite femineo, glabro & albicante, feminas vero cum virili, barbato & hirsuto: inconsuetum equidem est, feminas mento & vultu tenus mutari in viros, singulare est, earum roseas delicatasque genas, & plumeam cutem pilosis istis sentibus & urticis in nescio quam speciem transformari: verum hoc nihil est, si cogites & integras aliquando femi-

feminas in mares mutatas fuisse: non lubet hic multa exempla commemorare: exigit tamen Hippocratis auctoritas, ut Phætusam in scenam producam, Phætusam puto, Pythei uxorem, quam ille Medicorum Pater in marem conversam, barbam, hirsutum corpus & vocem asperam accepisse scribit: testem desideras occulatum? en Plinium Secundum en hujus verba apud Gellium, en & ipsius Gellii assensum: Plinius Secundus, inquit lib. 9. noct. att. cap. 4. *vir in temporibus ætatis suæ, ingenii dignitatisque gratia, auctoritate magna præditus, non audisse, non legisse, sed scire sese atque vidisse in libro naturalis Historiæ septimo scripsit: verba igitur, quæ infra posui, ipsius sunt, ex eo libro sumta: quæ profecto faciunt, ut neque ridenda sit notissima illa veterum poetarum de Cænide & Cæneo cantilena: ex feminis, inquit, mutari in mares non est fabulosum: Invenimus in annalibus Q. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Consulibus, C. Asinii puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque haruspicum deportatum in insulam desertam; Licinius Mucianus prodidit visum esse à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem provenisse uxoremque duxisse:* ejus-

*ejusdem sortis & Smyrnæ puerum a se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem die nuptiarum L. Cossicium civem Thysdritanum, vivebatque cum proderem hæc:* Simile exemplum refert Greg. Rolbagus de Fonte Salutis *in Certam. Mascul. Femin. p. m. 163.* hisce verbis: *Sic anno 1469 mulier quædam Æmylia nomine, nupsit cuidam Ebulano civi, & post 12 annos matrimonii mutata est in virum, & deinceps Æmilius dicta fuit, & viris conversata, artes viriles exercuit, uxoremque propriam restituta dote, jussu Ferdinandi Siciliarum Regis duxit, ut referunt Palmerius, & post eum Nigrinus in inquisitione & aureo vellere Ecclesiæ Pontificialis Romanæ, sub Papa Alexandro VI. & novissime Dominus Ioan. Wolfius.*

*Th. 21.*

In Regno Var, ajunt in usu esse, ut in judicio ad testimonium ferendum illi repellantur, qui in mari se navibus committere ausi fuerunt, existimant enim homines tales desperati esse animi: Marc. Paul. Venet. *de Reg. Oriant. lib. 3. cap. 25.* juxta illud Horatii

*Illi robur, & æs triplex*
*Circa pectus erat, qui fragilem truci*
*Commisit pelago ratem*
*Primus:*

Verum apud Turcas reputatur hominis barbati testimonium omni exceptione majus, & quo major est barba, eo etiam major habetur fides: bey den Türcken inquit der gelehrte Criticus qu. 100. werden die falsche Zeugen hart bestraffet / jedoch kommt es gar selten dazu / und ist das falsche Gezeugnis bey denen Türcken ein gemeines Handwerck: welche Parthey der andern mit Gezeugen überlegen ist, sie mögen falsch oder wahrhaft seyn / die gewinnet: Wenn derohalben jemand eine böse Sache hat / so bringet er zehen oder mehr Zeugen herfür mit langen Bärten / die nichts um den Handel wissen / ohn was ihnen der Zeugen-Führer vorschwätzet und einbildet: ligt demnach dem jenigen / so die Sache nicht verlieren will / gar viel daran / daß er solche langbärtige Zeugen zuwegen bringe / damit der lange Bart der Sachen ein Ansehen mache: Denn wenn sich die Partheyen vor dem Richter zancken und ihre Sache durch Zeugnis beweisen wollen / oder solcher Handel dem Richter verdächtig ist / und der Kundschaft nicht glauben wil: so beruft sich der Zeuge auf seinen Bart / weiset selbigen dem Richter / streicht ihn oft mit der Hand / und spricht: Wie solte ein ehrlicher Mann / mit einen solchen ehrbaren

ren Bart und Ansehen / eine Unwahrheit können vorbringen? ein solcher Bart oder Handvoll Haar kan einem auf einmahl in der Kundschaft einen halben Thaler und darüber zuwege bringen. Idem de Moscovitis refert Berckemejer *Cur. antiq. p. m. 383.* scilicet, die schlechte parole eines Menschen / der einen Bart hat / gilt bey ihnen mehr / als eines andern Eyd / der keinen hat. Unde Catullus ad Contubernales, *opaca quem facit bonum barba.* Nescio numne & leges Romanæ videantur barbato majorem fidem adscribere, quam imberbi, ita sane colligeres ex eo, quod in testium persona, cum autoritatis, tum gravitatis rationem habeant. *l. 2. l. 3. §. 2. ff. de testib.*

*Th. 22.*

Quanto in pretio debeat graphidis scientia haberi, nemo, nisi sit ex fustitudinis ferricrepidinis insulis, ignorat: Verum sicuti illi, qui Musarum sequuncastra nequeunt ex æquo in omnibus disciplinis excellere, ita nec valent pictores omnium rerum objecta ita ponere, ut quælibet pictura mereatur megalographia dici, alter enim nude tantum hominum corpora nitide effingendi artem callet, quemadmodum magnam ea

gloriam adepti ſunt Michael Angelo Buonarota & Carlo Lothi, alter excellit in decrepitis pingendis ſenecionibus rugoſisque frontibus, uti Petrus Paulus Rubens, alter in oculis, uti Sebaſtian Pompelli, alii in hortis, alii in veſtimentis alii in aliis rebus, ita ſingulari quoque laude celebrati ſunt Rembrandus de Ryn, & Lucas Kranach, quod barbam eleganter pingere potuerint, ut merito hic locum habeat hocce Propertii

*Turpe eſt, quod nequeas capiti committere pondus,*
*Et preſſum inflexo mox dare terga genu.*
*Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta*
*Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.*
*Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis*
*Naturæ ſequitur ſemina quisque ſuæ,*
*Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna,*
*Exactis Calamis ſe mihi jactat equis.*

Verum dum hic arte pictoria videor occupatus, nequeo propter vicinitatem, vid. *Conſt. omnem* §. 4. præterire controverſiam iſtam vel Primis Iuſtinianeis notam, *an pictura cedat tabulæ, an tabula picturæ?* anſam huic controverſiæ dederunt duo diverſi in Corpore Iuris exſtantes textus, nimirum §. 34. *I. de R. D.* & *l. 23* §. 3. *ff. de R. D.* quorum prior ſtatuit, tabulam debere cedere picturæ, propter pretioſitatem artis, poſterior vero

vero vult picturam debere tabulæ cedere, quia est accessorium tabulæ: Putares fortasse allegatæ *l. 23.* §. 3. derogari per §. *34.* utpote cum illa sit lex Pandectarum, hic vero textus Institutionum, adeoque posterior, ut consequenter illa lex Pandectarum anterior, huic legi Institutionum posteriori cedere debeat, constitutiones enim tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt, *l. ult. ff. de constit. Princ.* at nescio, num hæc responsio in præsenti casu locum habere possit, quamvis enim alias illam magni faciam, toties etiam, quoties Pandectæ contrariæ sunt Institutionibus, eadem utar videaturque cum voluntate Legislatoris optime convenire, uti latius demonstravi in *Comment. Theor. Pract. ad Lauterb. comp. pag. 10. & seq.* quæstionis tamen foret, numne è contrario textum Institutionum per legem istam Pandectarum abrogari dicendum sit, eo quod leges, quæ exstant in secunda & tertia parte Pandectarum, id est, à libro quinto de Judiciis, usque ad librum vigesimum de Pignoribus, omnes nova pulchritudine sint docoratæ, & nullo inutili, nullo desueto in iis inveniendo, valeantque ex die, quo Consti-

gloriam adepti sunt Michael Angelo Buonarota & Carlo Lothi, alter excellit in decrepitis pingendis senecionibus rugosisque frontibus, uti Petrus Paulus Rubens, alter in oculis, uti Sebastian Pompelli, alii in hortis, alii in vestimentis alii in aliis rebus, ita singulari quoque laude celebrati sunt Rembrandus de Ryn, & Lucas Kranach, quod barbam eleganter pingere potuerint, ut merito hic locum habeat hocce Propertii

*Turpe est, quod nequeas capiti committere pondus,*
*Et pressum inflexo mox dare terga genu.*
*Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta*
*Fama nec ex aquo ducitur ulla jugo.*
*Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis*
*Naturæ sequitur semina quisque suæ,*
*Gloria Lysippo est animosa effingere signa,*
*Exactis Calamis se mihi jactat equis.*

Verum dum hic arte pictoria videor occupatus, nequeo propter vicinitatem, vid. *Const. omnem* §. 4. præterire controversiam istam vel Primis Iustinianeis notam, *an pictura cedat tabulæ, an tabula picturæ?* ansam huic controversiæ dederunt duo diversi in Corpore Iuris exstantes textus, nimirum §. 34. *I. de R. D.* & *l.* 23 §. 3. *ff. de R. D.* quorum prior statuit, tabulam debere cedere picturæ, propter pretiositatem artis, posterior vero

vero vult picturam debere tabulæ cedere, quia est accessorium tabulæ: Putares fortasse allegatæ *l. 23. §. 3.* derogari per *§. 34.* utpote cum illa sit lex Pandectarum, hic vero textus Institutionum, adeoque posterior, ut consequenter illa lex Pandectarum anterior, huic legi Institutionum posteriori cedere debeat, constitutiones enim tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt, *l. ult. ff. de constit. Princ.* at nescio, num hæc responsio in præsenti casu locum habere possit, quamvis enim alias illam magni faciam, toties etiam, quoties Pandectæ contrariæ sunt Institutionibus, eadem utar videaturque cum voluntate Legislatoris optime convenire, uti latius demonstravi in *Comment. Theor. Pract. ad Lauterb. comp. pag. 10. & seq.* quæstionis tamen foret, numne è contrario textum Institutionum per legem istam Pandectarum abrogari dicendum sit, eo quod leges, quæ exstant in secunda & tertia parte Pandectarum, id est, à libro quinto de Judiciis, usque ad librum vigesimum de Pignoribus, omnes nova pulchritudine sint docoratæ, & nullo inutili, nullo desueto in iis inveniendo, valeantque ex die, quo Constitu-

ſtitutio *Omnem* de Rat & Meth. Jur. dic. promulgata eſt ſcil. ex 16. Dec. ann. 533. cum Inſtitutiones vim legis acceperint die 21 Nov. ejusdem anni, ita dicendum foret, propter *§. 3. d. Conſt. Omnem.* Ubi Partem Secundam & Tertiam ſpeciatim exceptas vides, quare & ad haſce duas partes, hæc erit obſervatio reſtringenda, in cœteris enim manet inſpiciendum tempus compoſitionis, adeo ut ſi extra haſce partes aliqua antitheſis Inſtitutiones inter & Pandectas reperiatur, illæ ut poſteriores præferri debeant: hoc ſaltem pro certo ſtatuendum eſt, ut ſi quis neget *d. §. 34.* abrogari per all. *l. 23. §. 3.* nec vice verſa hæc *l. 23.* per §. *34.* abrogata haberi poſſit: quam ob cauſam alii aliter textus hoſce conciliare ſtudent: Gloſſa diſtinguit inter picturam vilem & pretioſam, ita ut pictura cedat tabulæ, quando pictura eſt rudis, vilis, non ab Apelle aut Parrhaſio (de quibus Strab. *lib. 14. p. 642.* Mart. *lib. 11. ep. 10.* Plin. *lib. 35. c. 10.* Propert. *3. & 9.* Dn. Homborg. *Præl. Acad. ad Inſt. lib. 2. tit. 1. §. 34.*) ſed à Dupondio quodam confecta, contra cedat tabula picturæ, quando hæc eſt artificioſa, elegans, pretioſa: ſed non valet hæc diſtinctio, quoniam *l. 23.* non tam

tam de vili, quam de pretiosa pictura loquitur, in verb. *propter pretium picturæ.* Julius Pacius putat 3. *ant. q.* 43. Paulum in vers: *licet*, corrigere præcedentem opinonem, sed non concordat hæc visio cum verbis sequentibus, *sed necesse est:* Sebastianus Monticulus existimat in §. 34. interesse, bona ne, an mala fide pictura sit imposita, verum non facit hæc observatio ad effectum *accessionis*, *§. 26. J. de R. D.* Sed ad solutionem impensarum. *l. 9. §. 2. ff. de acq. rer. dom.* §. 30. 32. 33. *J. de R. D.* Goeddaeus explicat *l.* 23. non de aliqua rudi tabula, sive assere sectili, nec de pictura artificiosa, sed de tabulis coriaceis, cereis, vel lapideis, quæ scribendi gratia habentur, ita ut illis imposita pictura effectum scripturæ sortiri, consequenter ut quæcunque alia scriptura chartæ cedere debeat; verum nec hoc subsistit, tum quod in *l.* 23. charta expresse tabulæ opponatur, tum quod Paulus ibi agat de pictura, de qua quidam contra senserunt, id est, de qua dubitabatur, an tabulæ cederet nec ne, adeoque loquitur de tali tabula deque tali pictura, de qua Justinianus in §. 34. i. e. de propria tabula, atque de propria pictura, de hac enim dubitabatur olim: Quid honoran-

dus Dominus Pater meus, cujus sententiam merito sequor, hac in parte sentiat, potest quilibet colligere ex verbis ejus sequentibus : *Summa huc redit, ut dicam, Justiniano placuisse eam sententiam quæ arti pictoriæ id tribuerit privilegii, ut accessio ad se trahat rem principalem, pictura inquam tabulam l. 9. §. 2. de A R. D. §. 34. J. de R. D. eandem ut credam esse sententiam Triboniani aut sociorum in compositione legis 23. §. 3. ff. de R. V. ubi hæc verba : Sed & quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingitur, statim meum fit : Sint Pauli JCti. Sed quæ sequuntur : Licet quidam contra senserint, propter pretium picturæ : Sint à Triboniano ejusve sociis adjecta : quibus indicetur, artem pingendi hoc gaudere privilegio, ut regula juris Gentium, quæ vult, accessionem cedere principali, in pictura de jure civili, fallat, propter picturæ pretium : quem horum verborum sensum esse, collatio d. §. 34 & d. l. 9. §. 2. satis evincit : Cum tum in d. l. 23. §. 3. subjicitur : Sed necesse est ei rei cedi quod sine illa esse non potest. Hæc respiciunt ad regulam juris Gentium quam dixi, & volunt, etsi ex jure Justinianeo pictura* tabu-

*tabulam ad se trahat, id tamen non convenire cum dicta regula. Ergo post dicta verba: Sed necesse est, subaudi, jure Gentium d. l. 23. pr. Certe cum Institutiones & Pars Secunda Tertiaque Pandectarum, nihil desueti inutilisque contineant §. 3. J. Proœm. & §. 3. Constit. Omnem. sequitur inter §. 34. J. de R. D. & d. l. 23. §. 3. ff. de R. V. (qui titulus est in Secunda Parte Pandectarum) nullam pugnam esse, nec alterum textum alteri detrahere aut derogare: Sequeretur enim aut in d. §. 34. aut in d. l. 23. §. 3. esse quid inutilis aut desueti: at hoc utrumque negatur d. Const. Omnem. §. 3. d. Proœm. J. §. 3. Aliorum Doctorum explicationes indicavi Benedict. Collat. 6. Accessit nunc & nova visio Filii mei, Professoris Steinfurtensis, antea Marpurgensis tract. de Barba th. 22.* nimirum ut credam, si pugna statuenda est inter allegatos textus, paragraphum Institutionum, tum abrogari per dictam legem vigesimam tertiam de Rei Vind. quoniam hæc in Parte Pandectarum secunda ab Imperatore collocata, adeoque post Institutiones specialiter confirmata est: hoc est aliquid novi, fateor, sed habeo adhuc duas alias ad ejusdem legis 23. §. 3. observationes, de quibus cuilibet genuino le-

gum cultori liberam judicandi facultatem relinquo: primo enim existimo illa verba, *sed necesse est ei rei cedi, quod sine illa esse non potest*, saltem esse narrativa, ita ut post illa *sed necesse est* debeat subintelligi, aut ex tenore verborum præcedentium addi, *sentiunt quidam*; thesis ergo in lege ista erit hujuscemodi: *quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingitur statim meum sit.* Ab hac regula volebant quidam excipere picturam, *propter pretium picturæ*, sed alii nolebant hanc exceptionem admittere, propterea *quod necesse sit ei rei cedi, quod sine illa esse non potest*; quomodo igitur diremit Justinianus hanc litem? id constat ex §. 34. *J. de R. D.* illorum scilicet prævaluit sententia, qui picturam à præfata regula excipiebant: ergo non decidit lex *all.* 23. controversiam, in verb. *sed necesse est*, sed narrat tantum rationem, ob quam quidam exceptionem in pictura admittere noluerunt, debent ergo illa verba præcedentia, *quidam contra senserint*, repeti post verba *sed necesse est*, scil. *quidam contra sentiunt*, sive *alii contra sentiunt*: arg. §. *pen. J. de L. A.* & quis nescit multas in jure nostro reperiri leges narrantes: hon. Dn. Parens *Lib.* 2. *Aph.* 14. Deinde possunt illa

illa verba Pauli *licet de pictura* ita explicari, quasi dicat, *licet propter picturam*, particula sive præpositione *de* posita pro *propter*, uti in illo Terentii, *nos amas de illa*, & Ciceronis, *flebat uterque pater de filii morte, de patris filius*: quo prævio tum in textu illo tria notanda veniunt, scil. thesis, in verb: *quod in charta*, oppositio, in verb: *licet de pictura*: responsio, in verb: *sed necesse est*. Thesis est hæc: *Quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingitur, statim meum fit*: opp. atqui tabula cedit picturæ: Resp. ita est, *propter pretium picturæ*, id est, ita obtinet in pictura pretiosa, §. 34. *J. de R. D.* in verb. *Appellis vel Parrhasii*, item, *vilissimæ*: *sed* extra hanc *est necesse ei rei cedi, quod sine illa esse non potest*: errant igitur illi, qui paragraphum istum tertium de pictura *vili* explicant, cum potius de *pretiosa* loquatur, eamque à præfata regula dilucide excipiat: sensus igitur legis est, quod licet quidam putaverint, debere tabulam indistincte atque semper cedere picturæ, illud tamen tunc saltem locum habeat, quando pictura est pretiosa, *propter pretium picturæ*, ut Paulus inquit, in ceteris enim maneat regula hæcce salva, *quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingi-*

*tur*

*tur statim meum sit*, necesse est enim ei rei cedi, quod sine illa esse non potest: nec obstat verbum *qualiscunque* in §. 34. *J. de R. D.* quasi qualiscunque pictura trahat ad se tabulam, illud enim explicatur statim per verba sequentia, *sed nobis videtur melius esse*, ita ut non qualiscunque tabula cedat cuicunque picturæ, nec vice versa quæcunque pictura, licet aliis ita visum sit, cuicunque tabulæ sed distinguendum sit inter picturam vilem & pretiosam, ridiculum enim foret, picturam *Appellis* vel *Parrhasii* in accessionem *vilissimæ* tabulæ cedere: *d.* §. 34. unde nec dubitandum, quin tabula, in qua Rembrandus de Ryn, vel Lucas Kranach similisque artificiosus barbæ imitator, barbam pinxit, picturæ cedere debeat: at instas, si tabula pretiosæ cedit picturæ, quid vult sibi igitur illa utilis actio, quam dominus tabulæ adversus pictorem movere potest? dicis, si domino tabulæ datur actio ad vindicandum tabulam, ergo sequitur, quod tabula non veniat in accessionem picturæ, atqui datur ei actio ad vindicandum tabulam, §. *all.* 34. ibi: *consequens est ut utilis actio domino tabulæ adversus eum detur :* sed notandum est, per *actionem utilem* ibi significari *actionem*

in

*in factum*, quam dominus tabulæ habet adverſus pictorem ad præſtandam indemnitatem, & ſolvendum tabulæ pretium, vid. *l.* 23. §. 5. *ff. de R.V.* ergo non datur actio utilis ad vindicandum à pictore invito tabulam, ſed ad reſarciendum damnum, quod dominus tabula carere debens patitur, neque enim fas eſt ut pictor cum alterius damno fiat locupletior. *l.* 206. *de R. J. l.* 14. *ff. de cond. ind.* actionem autem utilem ſæpius poni pro actione in factum, vides in honor. Dn. Patris mei *Lib.* 2. *Aphor.* 35. poſſet quis tamen contra hanc explicationem obmovere, quod in allegato textu dicatur, dominum inſtituendo actionem utilem, debere impenſam ſolvere picturæ, ibi: *quo caſu, ſi non ſolvat impenſam picturæ*: ut conſequenter ipſa tabula per actionem utilem vindicari videatur, ſi enim hæc actio tantum tenderet ad refuſionem damni, ſane non haberet neceſſe impoſitæ picturæ impenſam ſolvere, alias enim deberet & tabula ſua carere, & ſimul etiam picturæ impenſam refundere, quod iniquiſſimum foret: verum levi poteſt hoc ſpiculum evelli niſu: debent enim illa verba, *quo caſu, ſi non ſolvat impenſam picturæ, poterit per exceptionem doli*

*doli mali repelli*, ad mentem Imperatoris explicari de casu, quo pictor tabulam retinere non cupit, ipsius siquidem arbitrio relictum est, utrum actione utili conventus tabulam recepto picturæ pretio restituere, an vero eandem, oblato ejus pretio, retinere malit. Fuchs *paraph. Inst. ad all.* §. 34. Polman. *Racemat. ad d.* §. 34. *n.* 8.

*Th.* 23.

Quantum de quatuor summis imperiis Babylonico, Persico, Macedonico & Romano hactenus agitatum, scriptum, disputatum, vel dormienti Epimeridi satis est compertum: vidit ea per quietem Nebucadnezar, prædixit ea Daniel in vaticinio, docetque ipse rerum eventus, quartam adhuc hodie in Imperio nostro Romano-Germanico superesse Monarchiam, quamvis enim nonnulli vaticinium Danielis aliter atque ita exponere, quasi loquatur de quatuor potentissimis Monarchiis, quibus Populus Iudaicus servire debuit, sicque ejus verba ad ista tempora restringere gestiant, refutantur tamen tum ex omnium rerum circumstantiis, accurataque moderni status convenientia, tum quod Deus perennem & cum ævo duraturam quartæ promittat Monarchiæ felicitatem: Dan.

Dan. *cap.* 2. *&* 7. noſtrum non eſt, cum maxime hanc controverſiam examinare latius, inſervit tamen præſenti materiæ, ut inſpiciamus quam ob cauſam prima Monarchia ſit adumbrata in aureo imaginis ſive ſtatuæ capite, quam Nebucadnezar in ſomniis vidit. Dan. 2. *v.* 31. & quis non animadvertit ſtatim, magnam primi Imperii ſimilitudinem eſſe cum capite humano, & quidem aureo, uti enim aurum ſpecies eſt metallorum nobiliſſima, ſplendida, pretioſa, ita & enituit prima Monarchia gravitate, ſplendore, claritudine, magnificentia, gloria, majeſtate: unde Daniel ad Nebucadnezarem: *Tu o Rex Regum: cum Deus Cœli regnum, potentiam firmitatemque & gloriam det tibi: & quibuscunque locis habitant filii hominum, beſtiæ agri & aves cœli, ea det in manum tuam & dominatorem conſtituat te in omnibus illis, tu, inquam, es caput illud aureum.* Uti caput prima principaliſque corporis humani pars eſt, & quaſi ſpeculum ex quo totius hominis conditio cognoſcitur ita fuit Monarchia Babylonica omnium aliarum Monarchiarum prima, & quaſi caput: Uti caput humanum ex variis conſtat partibus, diverſiſque in eo apparentibus

bus ſpeciebus, quales ſunt inter alias cerebrum, pia mater; dura mater, cranium, frons, lingua, naſus, mentum, barba, ita habet ſe res quoque cum Statu Monarchiæ Primæ, hujus enim Reges talem transegerunt vitam, tali tamque diverſa ratione ſummam adminiſtrarunt, talis tamque fuerunt diſſimilis naturæ & indolis, ut merito commodeque queant cum prædictis capitis humani partibus comparari: ita, qui prima hujus Imperii fundamenta jeciſſe dicitur Nimrod, poteſt aſſimulari *cerebro:* ſicuti enim Cærebrum ſedes eſt judicii, ratiocinationis & memoriæ, in eoque anima, velut in throno potiſſimum ac fortiſſime dominatur: Ita & Nimrod iræ divinæ, & gladii Noæ abavo ſuo conceſſi memor ponendo fundamenta regni, in quo fortiſſime domimatus eſt, docuit diſſolutos reproboſque leges pati, judicii divini memoriam habere, incultos horridoſque mores ad rectæ rationis cynoſuram ita dirigere, ut inde in Sacris Pandectis nomen acceperit *robuſti venatoris:* Genes. 10. v. 8. & 9. ſitque à Perſis inter ſidera relatus & Orion dictus: Rupert *ad Beſold. cap.* 2. *Piam duramque matrem* referunt Belus & Ninus, quorum illius

illius gubernatio minus fuit truculenta, hujus vero cum uxore Semiramide durior, quamvis verisimile videatur Ninum non ex Nimrodi successoribus, sed ex Semi posteris provenisse, fuerunt enim plures Beli, quam Nimrod ejusque filius: *Cranio* similis est Ninyas, Nini & Semiramidis filius, utpote cum nihil memorabile perfecerit, contentus elaborato à parentibus imperio belli studia deposuerit, & veluti sexum cum matre mutasset, raro à viris visus, in feminarum, & eunuchorū, qui cum suturis cranii recte comparantur, turba consenuerit. Iustin. *lib.* 1. *cap.* 2. *Fronti* confertur Sardanapalus, vir muliere corruptior, inter scortorum greges purpuram colo nere, & pensa inter virgines partire solitus, cui frontis saltem curam habenti tota tandem frons periit: de eo extat sequens apud Nicolaum Damascenum *in Excerptis Peir. p.* 424. fragmentum: *Sardanapalus Assiriorum Rex à Nino & Semiramide originem ducens, assidue intra palatium in urbe Nino degebat: neque arma tractans unquam, neque venatum egrediens, more superiorum Regum: sed faciem liniens, atque oculos pingens, & cum pellicibus implicatione crinium contendens,*

*prorsusque muliebri diffluens mollitie*: At diversæ fuit indolis Nabuchodonosor, qui, cum ex Idololatria ad veram Dei agnitionem perductus, lingua sua Deum celebraverit, merito etam *linguæ* assimilandus est, sicuti qui eum antecessit Sennacherib *naso*, intolerabilis enim horrendusque fœtor perstrinxit nares ejus, una nocte 185000 hominibus in castris ab Angelo occisis, ubi antea suavem de occupanda Iudæa odorem perceperat: Verum quid dicam de barba? huicne quispiam commode quoq; comparari poterit? ita sane videtur: Belzazar enim, sive Balthasar filius Neviglossoris Regum Babyloniorum ultimus talia passus est fata, ut cum barba pulchre componi queat. Quemadmodum enim barba extremum est capitis humani, ita fuit quoque Balthasar Regum Babyloniorum postremus, adeoque primæ Monarchiæ in capite humano adumbratæ barba: uti barba nonnunquam abraditur, reciditur, in terram projicitur, atque in totum à mento resecatur, ita & victo Balthasare, expugnataque á Cyro Babylone tota periit Monarchiæ Babyloniæ barba, & simul cum barba ipsum, summa rerum ad Persas translata, imperium: Mavult tamen

tamen Reusnerus *in Isag. hist. pag. 178.* hunc Balthasarem cum Statuæ Nebucadnezari in somniis præsentatæ gula, Regassarem vero & Labassardachũ cum ejus barba comparare, quasi Balthasar aut angina periisset, aut divinitus strangulatus fuisset. vid. Dan. Otto *de Jur. Publ. cap. 1. pag. 12. in fin.* verum non arridet mihi hujusmodi collatio: tum quod adhuc incertum sit, num Regassar sive Assur & Labassardach Balthasarem in regno antecesserint, numne potius Labassardach sit ipse Balthasar: vid. Sulpic. Sever. *sacr. hist. lib. 2. cap. 8. & ibi Comm.* tum quod nondum decisum sit, quo genere mortis Balthasar occubuerit, Rupert. *ad Besold. cap. 4. p. m. 61.* tum quod nostra comparatio cum interitu regni Babylonici optime conveniat.

*Th.* 24

Ita est, nobilissime Ulpiane, Legumprudentum Coryphæe ( *l. 4. l. 13. §. 2. ff. de excus. tutor.*) non eget utilitas titulolorum de Restitutionibus in Integrum agentium aliqua commendatione, ipsi enim se satis ostendunt, ut bene mones in *l. 1. ff. de in integr. restit:* magnum enim profecto est solatium, atque ingens commodum, ut qui vel facilitate ingenii,

vel dolo adversarii, vel alia ejusmodi causa circumscripti sunt, in pristinum rursus statum restitui, sicque omne damnum evitare queant: Verum non solet, ista restitutio semper, nec ad quodcunque desiderium concedi, nec promiscue, nec absque causæ cognitione, quare causæ, ob quas impetrari possit, scitu dignissimæ sunt, complexus sum eas hisce versiculis:

*Restituit Prætor: si justa absentia, litem*
*Captaque venditio mutandi nomine facta;*
*Si dolus, aut ætas, mutatio conditionis*
*Si metus, aut error, vel justa obstacula lædat.*

Qui igitur in integrum restitui desiderant non audiuntur, nisi unam ad minimum ex hisce causis probaverint, caveantq; advocati patrocinantes, ne libellum offerant in quo ejus allegatio omissa est, vereor enim, ne ceu ineptus rejiciatur, ut tradit Carpzov. *part. 1. Const. 26. def. 23.* immo, nec sola sufficit causæ allegatio, sed debet insuper ejus quoque cognitio haberi: *l. 3. 7. pr. §. 1. ff. de in integr. restit.* ita e. g. si quis ex capite metus restitutionem petat, requiritur probatio contractus (nam necesse est, ut restituendus aliquid gesserit: Lauterb. *comp. ff quod met. caus. in pr.*) vis injustæ, metus præsentis & justi *l. 1. l. 3. l. 9. §. 1. l. 6. ff. quod met.* *caus.*

*cauſ.* ſi. ex capite doli mali cupiat reſtitui, debet conſtare de dolo malo, de jure per dolum læſo, & ut nullum aliud ſubſit juris remedium: ita etiam, ut ad rem veniamus, ſi minores ad beneficium reſtitutionis in integrum geſtiant confugere, requiritur, ut aliquid ſit geſtum, vel non geſtum, poteſt enim contra omiſſam quoque hereditatem minor reſtitui, *l.* 1. §. 7. §. 1. *l. pen. C. de minor.* Dn. STYCK. *ad Lauterb. pag.* 81. *in pr.* & in genere contra non acquiſitum, quod tamen acquirere potuit, Anton. Oliban. *p.* 2. *lib.* 1. *c.* 14. *n.* 20. *in fin.* modo ſit minor, id eſt, modo annum vigeſimum quintum nondum exceſſerit, contigeritque læſio vel ætatis facilitate, vel adverſarii malitia, nam caſu fortuito ſuperveniens læſio non parit reſtitutionem; vid. *l.* 25. §. 6. *ff. locat.* ſicuti & multi alii ſunt caſus quibus reſtitutio ceſſat, quorum principalior ſcopo noſtro inſerviens eſt *dolus* minoris, e. g. ſi dolo malo ſe majorem dixerit: Mynſing. 4. *Obs.* 20. jura enim non decipientibus ſubveniunt, ſed deceptis & errantibus: *l.* 2. *&* 23. *ff. ad SCt. Vellej.* niſi contrahens ex aſpectu cognoſcere potuerit eum adhuc minorem eſſe, tum enim habebit, non obſtante aſſer-

tione restitutio rursus locum, Gail. 2. *Obs.* 65 *n.* 2. præprimis si cum personis conjunctis minor contraxerit, quia hæ minorennitatis notitiam habere præsumuntur: Gloss. ad *l.* 7. *C. de in integr. restit.* vid. Brunnem *ad l. pen. ff. unde. Cognati.* Dolose autem minor dicitur egisse, si non tantum se expresse majorem affirmaverit, verum etiam si longiorem barbam ad decipiendum adversarium & fingendam majorennitatem aluerit: vid. Mejer. *Coll. jur. Argent. ad. tit. ff. de. Min.* §. 77. ubi hæc verba habet: *Si alterius circumveniendi causa minores dolo malo, se majores falso asseveraverint, aut ex aspectu forte, hoc est, conformatione & figura corporis, longiore puta barba, rugis in vultu, aut canis capillis in capite, apud Magistratum probaverint cum malitia suppleat ætatem, restitutionis auxilium ipsis denegatur.* Illustrat hæc glossa *ad l.* 32. *ff. de minor.* sequenti exemplo: *Minor* 25. *annis volebat agere adversus puendam suum debitorem, & cum ad judicium illum vocavit, dixit ille: Quis est iste, qui venit de Edom tinctus vestibus de Bosra? dicit minor se majorem esse, ut major appareret, permisit barbam crescere, & capillos magnos deferebat: unde admissus fuit à judice ad agendum, & ta*

*ita debitor isti solvit.* Vides ergo, quantum in Restitutione in integrum barba quoque valeat: vides quantum in ista materia possit: vides qualem ibi effectum habeat, qualem usum, quale pondus, vides quidnam Glossa, quid alii de ea sentiant Jurisconsulti: ut merito mirer, quod hæc non viderit, nec præcipere potuerit Clarissimus Collega meus Dn. Augustus HOUCK, dicendo: *Et quid Barba ad restitutionem in integrum? num ex lanugine judicabitur minor? Sane non. Anni observandi sunt. Quid enim? si semper glaber & imberbis maneret, an semper in integrum restitutionem promisit ei Prætor? non credo.* Quæris Domine Collega, *& quid Barba ad restitutionem in integrum?* nescis? non spero: nisi quod interrogando confitearis: quæso inspicias Glossam *ad l. 32. ff. de minor.* aut si Corpore Juris Glossato cares, ejus verba modo allegata: conjunge sis cum hac Glossa, quæ supra ex Collegio Juris Argentoratensis in medium produximus, & videbis, quid barba faciat ad restitutionem in integrum? Dicis: *num ex lanugine judicabitur minor? Sane non: anni observandi sunt:* Ita est, anni sunt observandi: at quid hoc ad thesin nostram? nos agimus de barbato, tu

contra de lanuginoso, nos de minore, qui se majorem simulat sumta barba, tu de minore judicando ex lanugine, nos affirmamus minorem, qui assumta barba minorennitatem dissimulavit, beneficio restitutionis indignum esse, tu statuis de minorenni ætate non judicandum esse ex lanugine: hæc sunt diversa: *sapiens subtilisque Lector*, inquit Plin. *lib. 4 ep.* 14. *debet non diversis conferre diversa*: Immo, quid si nunc etiam affirmem, judicem de minorennitate ex lanugine quoque statuere posse, saltem hactenus, ut pro judicio ex lanugine desumto tam diu stet præsumtio, donec contrarium fuerit evictum: Ita sane docent Menoch. *lib.2.præs.* 50. Stryck. *de Jur. Sens. Diss.* 1. *cap.* 1. *n.* 58. vid. Gloss. *ad all. l.* 32. *de min.* Addit Vir Clariss. *Quid enim? si semper glaber & inberbis maneret, an semper in integrum restitutionem promisit ei Prætor? Non credo*: Nec ego: at quid inde? qualis hæc erit consequentia? *si imberbis semper nequit restitui in integrum, ergo habet barba in Restitutionibus in integrum nullum usum: vel, si minor non debet judicari ex lanugine, sed ex annis, ergo facit Barba ad Restitutiones in integrum nihil*: vel, *si imberbis, qua imberbis, nequit*

in

*in integrum restitui, nec ex lanugine judicari minor, ergo nec debet mirori, qui pro coloranda majorennitate barbam promisit, restitutio in integrum denegari: at mallem* Vir Celiberrimus Angeronæ litasset: vid Hildebrand. *ant. Rom. voc. angerona.*

*Thes. 25.*

*Non sunt audiendæ vanæ populi voces;* ita ajunt Imperatores Dioclet. & Maxim. in *l. 12. §. 1. C. de Pœn.* nullibi poterit huic axiomati commodior locus assignari, quam in famosa ista & notabili controversia, *An detur aliqua infamia facti?* quod sicuti, hactenus constanter negavi, ita usque adhuc persuasissimum est mihi, omnem infamiam esse juris, nullam vero facti: Quæ dum nostro etiam proposito inservit disputatio, operæ pretium duxi eam in præsentiarum latius examinare: dicitur autem facti infamia oriri ex facto, quod legibus non est notatum sed existimationem alicujus saltem onerat apud viros graves & honestos, e. g. si quis ex contractu propter dolum damnatus sit lege non notante. Lauterbach. *Coll. th. pr. lib. 3. tit. 2. §. 26.* verum cum non hominum opinio, sed lex, Senatusconsultum, constitutio Principis, edictum Prætoris infamem faciant *l. 1. ff. de his qui not. inf. l. 43. §. p. ff. de rit. Nupt. l. 14.*

*& 19. C. ex quib. cauſ. inf. irr. l. 16. C. eod. ibi: notatum:* & tum; *ideoque.* Wiſſenb. *Diſp. 11. ff. n. 13.* non video qui ſalva quis conſcientia tali poſſit ſubſcribere opinioni: qualis enim hæc erit infamia, quæ legis autoritate caret? ubi nulla ſententia damnatoria? quæ ex facto nullatenus notato, vulgique opinione prognaſcitur? odi profanum vulgus & arceo: non ſunt vanæ populi voces audiendæ: Lex eſt quæ notat: ſententia facit infamem: ſolum turpe factum non ſufficit: utrumque debet concurrere, turpe ſcil. factum & legis notatio. vid. Dn. Homfeld. *med. theor pract. ad l. 22. ff. de his qui not. inf. pag. 96. & ſeqq.* immo vel ex unico ſtellionatus axemplo conſtat, quam fragili fundamento facti illa nitatur infamin: turpe ſiquidem inhoneſtumque factum eſt ſtellionatus: *l. 3. §. 1. ff. Stellion*, eſt enim *crimen l. 3. §. 1. & 2. d. tit.* attamen non cohæret ei infamia *l. 2. ff. d. t.* niſi ſententia judiciis tali nota aſperſerit. *l. 13. n. ult. ff. de his qui not. inf.* hon. Dn. Parens *Irn. inj. vapul. Coit. 43. §. 9.* ſed patitur ſtellio aliquod ſaltem opinionis ſuæ, qua apud graves viros antea valebat, naufragium, eſtque illis, qui integræ ſunt vitæ ſcelerisque puri, quadantenus, ſuſpectus,

ſpectus, id eſt habet ut loquuntur, opinionem gravatam, ſed non eſt propterea, ut alii putant, infamis, tum quod in Corpore Juris de tali infamia altum ſit ſilentium, tum quod à lege, & judicis ſententia turpe factum notante infamia dependeat, tum quod turpe quandoque factum committatur ſalva fama, ut in ſtellionatu, tum quod gravata opinio, quam vocant infamiam facti, infamiæ expreſſe opponatur, & ab ea ubique ſepararetur. vid. *l.* 25. *C. ad. L. Iul. de adulter. l.* 13. *C. ex quib. cauſ. maj.* nec obſtat *l.* 2. *ff. de Obſeq.* agit enim 1. de *opinione hominum*, quorum vox non eſt audienda. *l.* 12. *§.* 1. *C. de pæn.* 2. de infamiæ *nota*, quæ conſiſtit in gravata opinione: *all. ll.* 25. *&* 13. neque enim *effugiunt* hanc ita condemnati pater & patronus, at non inducit hæc nota infamiæ effectus: vid. *l.* 3. *§.* 5. *ff. de teſtib.* hon. Dn. Parens *Irn. Coit. all.* multo minus obſtat *l.* 31. *§.* 21. *ff. de ædil. edict.* quia per verba illa; *natione infamata* Ulpianus reſpicit ad illud brocardicum, *qualis pater, talis filius:* Gloſſ. *ad. d. l.* 31. vid *Conſtit. Tanta. §.* 9. ſumiturque verbum *infamare* ibi καταχρηστικῶς, quod in jure noſtro non eſt novum, *l*, 58. *ff. de V. S.* nec à Latinæ linguæ nitore

tore alienum: Senec *E. 99 nostra præcepta infamant duritia.* Adversari tamen videtur nostræ sententiæ *l. 27. C. de inoff. test.* in verb. *vel levis notæ macula adspergantur*: item: *turpitudinis*: verum quis probabit inde infamiam aliquam facti? non enim sequitur, frater potest contra fratris testamentum movere querelam inofficiosi testamenti, quando persona, quæ vel turpitudine quadam, vel levis notæ macula laborat, ei est præposita, ergo est hæc levis notæ macula vel illa turpitudo infamia facti, minime gentium, nam quod frater eo in casu querelam habeat inofficiosi testamenti, hoc credo ob hanc causam constitutum esse, non quod talis persona, quæ turpe aliquod commisit factum sit infamis, cum turpitudo ibi expresse distinguatur ab infamia, sed quod frater videatur inofficiosus, qui, cum tot aliis hominibus, quorum fama est æquabilis, mundus sit repletus, talem tamen fratri suo præponere voluerit, qui flagrat rumore malo, cujusque opinio ob turpe factum, vel levis notæ maculam apud alios gravata est: nisi per turpitudinem levisque notæ maculam malis intelligere diversas infamiæ species, ita ut infamia tum duplex sit, nimirum turpis & levis, sitque adeo turpitudo,

pitudo, aut levis notæ macula non, ut alii cõtendunt, infamia facti, sed ipsa infamia: optime! quis enim nescit infamiæ suos esse gradus: *l.* 1. *§.* 6. *ff. de postul. l.* 8. *§.* 2. *C. de vi publ: ibi: gravi:* debet igitur levis notæ macula separari ab infamiæ nota, illa est infima infamiæ species, hæc ab infamia plane distincta, illa venit a lege, hæc ab opinione hominum, de illa agit *l.* 27. *C. de inoff. test.* de hac *l.* 2. *ff. de obseq.* unde tum sponte sua consequitur, spurios similesque illigitimos nulla laborare levis notæ macula, ratio, quia levis notæ macula est species infamiæ *d. l.* 27. infamia autem punitur nemo, nisi ob proprium delictum *l.* 5. *§* 1. *ff. de extraor. cognit.* est enim pæna, at pœna debet auctores suos tenere *l.* 26. *ff. l.* 22. *C. de Pœn.* idem est statuendm de illis, qui bonis cesserunt, cum & diligentissimo patrifamilias talis casus, ob quem bonis cedere debeat, adeoque & absque sua culpa evenire possit: hon. Dn. Parens. *Admon. ad ff. part.* 6. *§.* 185. quare nec qui vitiatam aut Lictoris viduam in matrimonium ducit, hac nota afficitur, nec maculantur ea carnifices, excoriatores, similesque justitiæ executiores, vid Christ. Besold. *Disc. Pol. Diss.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. quamvis odiosa cum illis

illis sit conversatio Carpz. *Pr. Cr. q.* 137. *n.* 55. ita tamen ut à sacræ Cœnæ communione non excludantur. Stryck. *ad Brunnem. Jus. Eccles. l.* 1. *c.* 6. *n.* 4. §. 13. nam nec Wenceslao Imperatori turpe est visum ad suscipiendum è baptismate filium rogare carnificem, eumque ut compatrem appellare: hon. Dn. Parens *Sicil. man.* 2. *n.* 55. Strateman. *theatr. hist. exit.* 9. *A. C.* 1378. conf. Keckenmann. *Disp. Pract* 32. *qu.* 6. at quid dicam de Barbitonsoribus? illosne etiam turpitudine quadam aut levis notæ macula laborare credis; ob vile, quo funguntur, ministerium? oportet profecto tali eos nomine fuisse olim inquinatos, cum nec honestorum opificiorum participes, sed ab iis, æque ac molitores, textores, pastores ovium, pannifices, pelliones, udonum compositores, similesque emungentes se cubito cerdones remoti exclusique fuerint, verum cum hæc consuetudo omni destitueretur fundamento & ratione, merito etiam legibus Imperii est iterum rejecta, & propter suam insulsitatem abrogata: Schonb. 3. *Pol.* 48. *Chirurgicis, inquit, ministeriis occupati sunt vulgo Barbitonsores dicti: horum filios ut molitorum in quibusdam liberis Germaniæ Civitatibus non ad-*

*admittunt cæterarum tribuum Tribuni: more pessimo & ipsis Imperialibus Constitutionibus abrogato:* facta est ista correctio in *Reformat. Polit de ann.* 1577. *tit.* 38. his verbis: Wir wollen solche beschwerliche Gebrauch oder Gewohnheiten hiermit aufgehebet und vernichtet haben: setzen ordnen und wollen wir demnach / daß die Leinweber / Barbirer / Schäfer / Müller / Zöllner / Pfeiffer / Trometer / Bader / und die / derer Eltern / davon sie gebohren sind / und ihre Kinder / so sie sich ehrlich und wohl gehalten haben / hinführo in Zünften / Gaffeln / Aempter und Gülden keines weges ausgeschlossen / sondern wie andere redliche Handwercker belanget / und darzu gezogen werden sollen. Et quid erat magis rationi & æquitati conveniens, quam ut barbitonsores à tali consuetudine exciperentur, barbitonsores inquam, quibus Regum Principumque sacrosancta capita datum est tangere, barbitonsores inquam, qui non frivolariorum instar scruta tractant, aut sordidæ objectæque rei præsunt, sed barbæ, notabili isti corporis humani ornamento, isti nobili gravitatis auctoritatisque signo, barbitonsores inquam, quorum officium ita comparatum est, ut & gravissimi quandoque viri

viri eodem fungantur, quemadmodum de Imperatore Commodo, Alexandro Phereo & Dionysio memoriæ prodidit, Alexander ab Alexandr. *Genial. dier. lib.* 5. *cap.* 18.

*Th.* 26.

*Et pro monstro est, ut major sit filius, quam pater*: verba sunt Imperatoris in §. 4. *J. de adopt.* tanta enim est sanctitas personæ patris, ut nec filius, qui novercæ suæ matrem duxit, quamvis tum patris sui pater evadat, nomen *patris* sibi arrogare auserit: *l. ult. C. de legit. tutel.* semper enim debet filio persona patris haberi sancta, *l. 9. ff. de obseq.* & licet filius dignitate sit major, licet pater legum sit contemptor & impius, nihilominus tamen & pater est. *nov. 12 cap.* 2. jura enim sanguinis nullo jure civili dirimi possunt: *l. 8. de R. J.* nescio numne ob hanc causam Dionysius Æsculapio barbam demi jusserit, quod affirmaret, non convenire Patrem Apollinem imberbem, ipsum barbatum conspici: Valer. Max. *lib. 1. cap.* 1. *in extern. n.* 3. ita sane Cicero *lib.* 3. *de nat. Deor. Dionysius Æsculapii Epidauri barbam auream demi jussit, neque enim convenire barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset*: eum autem barbatum

tum fuiſſe evincunt non modo allegati Cicero & Valerius Maxim. verum etiam nummi, marmora, aliique Auctores cum Latini, tum Græci, Illuſtr. Cuper. *in Harpocr.* hinc Ovid. 15. *Metam.*

*Cum Deus in ſomnis opifer conſiſtere viſus*
*Ante tuum Romane thorum, ſed qualis in æde*
*Eſſe ſolet, baculumque tenens agreſte ſiniſtra,*
*Cæſariem longa dextra deducere barba.*

Dicitque Albricus *de Deor. Imag.* eum barbam habuiſſe valde prolixam, & vocatur à Luciano in Jove Tragœdo Βατυπώγων, καὶ ἀγγύνειος, *ingenti promiſſaque barba præditus*, hinc Arnobius, *Æſculapium ſpoliavit barba ampliſſima, boni ponderis, & Philoſophicæ denſitatis:* Minucius Felix *in Octav.* pag. 23. *Æſculapius bene barbatus*, neque obſtat, quod Pauſanias in Corinthiacis dicat, apud Sicyonios ſimulacrum Æſculapii fuiſſe, ubi imberbis conſpiceretur, nam apud Tithorenſes contra barbatus viſus eſt: Ouzel. & Elmenhorſt *ad all. Min. Fel. pag.* 23. neque obſtat, volebam dicere, hæc diverſitas, tum quod ut plurimum barbatus exſtiterit, tum quod Dionyſius ſacrilegium ſuum jocoſo dicto voluptatis loco perſecutus ſit, tum quod & Pater Apollo modo barbatus fuerit modo imberbis, tum quod medicina

per omne tempus ſit utilis & neceſſaria, à teneris unguiculis usque ad extremum vitæ halitum, maxime autem in ſenectute, utpote quæ multa vitia apportat, variisque difficultatibus obnoxia eſt, ut hinc barbatus quidem & imberbis, communiter tamen barbatus merito appareat.

*Thes.* 27.

At dicite mihi perculti elegantesque virginum amatorculi, quæ cauſa cur & ipſa elegantiarum, venuſtatis, pulchritudinis, gratiarumque Dea, ipſa inquam Venus barbigera ſit, voceturque Barbata? qui poteſt illa pulchra dici aut formarum egregiarum haberi Dea, quæ adeo deformis eſt, adeo vultuoſa, cui tanta depravatio oris? quis veſtrum ambiret virginem barbatam? quis anhelaret hirſutas hujusmodi baſiare genas? quis non faſtidiret talem monſtroſam faciem? quamvis enim viris barba gravitatem conciliet, auctoritatemque, natura tamen ita comparatum eſt, ut feminas è contrario reddat faciatque defòrmes, monſtroſas, ridiculas: nihilominus tamen verum eſt, Venerem omnium Dearum pulcherrimam fuiſſe & ſimul barbatam: quemadmodum in Cypro ſimulacrum extitit barbatæ Veneris, corpore &

& veste muliebri cum sceptro & natura virili, unde & nomen accepit *Barbatæ* Veneris: Pomey *Panth. Myth. pag.* 91. Alexand. ab Alex. *gen. dier. lib.* 4. *cap.* 12. Macrob. *Saturn.* 3. *c.* 8. Serv. *ad Virgil.* 2. *æneid. v.* 632. putant Doctores id inde esse, quod tam virorum quam feminarum generationi præesse crederetur, *nam cum*, inquit all. Pomey, *Romanas fœminas invasisset aliquando pruritus pestilens, pilique omnibus deciderent: Veneri vota fecerunt, ac statim succrevere capilli: Deæque simulacrum posuerunt cum pectine, & addidere barbam, ut una eademque virorum ac fœminarum insignia gereret, ut sic utrorumque generationi præesse crederetur:* Ita quidem communiter: verum potest quoque elegans esse hieroglyphicum inconstantiæ, mutabilitatis, ac periculorum in quibus jacent qui se Veneri mancipant, quamvis enim prima hæc fronte appareat blanda, suavis, amabilis, festiva, dulcis, glabra & imberbis, mox tamen, dum in rosis existimas te cubare, erit truculenta, horrida, insuavis, omnem pestem in animam, corpus, & bona evomens hirsuta & plane barbata:

*heu quoties fidem*
*Mutatosque Deos flebit, & aspera*

*Nigris aequora ventis*
*Emirabitur insolens,*
*Qui nunc te fruitur credulus aurea:*
*Qui semper vacuam, semper amabilem*
*Sperat, nescius aurae*
*Fallacis: miseri quibus*
*Intentata nites,*

Horat. *1. od. 5.* ſane hæc videtur ratio, ob quam Dea quoque Fortuna non modo prope Veneris templum habuerit ædem, ſed & æque ac Venus barbata fuerit: utraque enim eſt inconſtans, fallax, mutabilis, dubia, inſana, ſaxo globoſo inſiſtens, volubilis, & hinc modo imberbis, modo barbata: nullatenus vero obluctor, ſi quis Venerem Barbatam malit eſſe ſimulacrum Reginæ Semiramidis, ſoliti enim fuerunt Romani, ſpeciatim Poëtæ, Regum regnorumque fata fictis nominibus exponere, atque in perſona alicujus Dei adumbrare, quæ tum ſucceſſu temporis à credula poſteritate quaſi plena Deitatis accepta ſunt: & quis non animadvertit notabilem convenientiam Semiramidem inter & Venerem? Venus dicitur nata è maris ſpuma: Semiramis fuit ad lacum expoſita, & hactenus quaſi fluctibus edita: Columbæ trahunt Veneris currum, ſuntque ei ſacræ, ſacræ ſunt itidem Semiramidi, utpote quam ad lacum

lacum expositam nutriverunt coagulato lacte ex pastorum mapaliis surrepto: Venus vocatur Hortensis, quod hortorum tutelaris sit Dea: Semiramidem quoque in adornandis hortis summam habuisse curam, & illos septem mundi miraculis annummeratos *pensiles hortos* condidisse constat: Venus est lasciviarum præses, & libidinis Dea: Semiramis fuit femina admodum petulans, libidinosa, venerea, adeo ut & proprii filii concubitum petiierit: Venus dicitur cum Marte commisisse adulterium, Semiramis cum equo, Marti sacro animali, rem habuisse: Venus dicitur pingiturque Barbata, Barbata est etiam Semiramis, & sexum mentita, cum post mortem mariti se pro uxore simulaverit filium, & pro femina masculum: vid. Justin. *lib. 1. cap. 2.* ut hinc ob hasce congruentias nullum sit dubium, quin Venus, & quidem Barbata Venus sit ipsa Semiramis. vid. Rupert. *ad Besold. cap. 3. pag. m. 39. &. seqq.*

*Th. 28.*

De Venere sumus loquuti: quid obstat, quo minus inspiciamus, qualem pœnam mereatur ille, qui virginem vel feminam aliquam honeste viventem depudi-

cavit, ut loquitur Laberius apud Gellium *lib.* 16. *cap.* 7. id est, ut Lyricus inquit, quando oscula Venus quinta parte sui nectaris imbuit: sed cum stuprum variis modis committi possit distinguendum est cum Doctoribus, inter stuprum violentum & voluntarium consumtum & attentatum: violentum attentatum afficitur pœna extraordinaria, fustigatione, perpetua relegatione, & auris quandoque amputatione, qualem pœnam Oropastæ ob commissum furtum dictavit Cambyses: Justin. *lib.* 1. *cap.* 9. conf. Polman. *ad* §. 3. *J. de libertin.* §. 7. *in fin.* ratio autem, quæ hanc pœnam induxit, est, *quod vena ibi quædam lateat, quæ* γόνιμον *contineat semen, qua abscissa vis procreationis simul tolli existimatur.* Callar. *Polit. cap.* 10. § 11. Sueton. *in Aug. c.* 69. unde ex frequentato Veneris exercitio aurium nonnunquam morbus oritur: Dn. Stryck. *de Jur. Sens. Diss.* 3. *c.* 5. *n.* 13. hinc Juvenalis:

*- - Tacito bilim tibi contrahat uxor*
*Humida suspectis referens multitia rugis*
*Vexatasq; comas, & vultum, auremque calentem.*

Cur quæso libidinis non liceat ibi æque sedem quærere ac memoriæ? Plin. *lib.* 11. nam quid aurem vellere aliud est, quam admonere? Virgil. *ecl.* 6. *v.* 90. & 91. *atque*

*are*

*ære Menalca, vellit & admonuit*, quis dicitur agrestem aurem habere, nisi cujus memoria ventorum ludibrium est? A. G. *noct. Att. c.* 19. *lib.* 13. quid est *de tribus auribus disputare* aliud, quam sententiam rationi contrariam defendere: ansam dedit huic proverbio Sunlungus Sophista, hominem tres aures habere statuens, unam, qua audiat à duabus istis quas videmus separatam Martin. Martinius *Sin. Hist. lib.* 5. *Imp.* 36. est quoque summæ attentionis signum, si quem auritum dixeris, hinc quercus Orphei musica motas vocat Horatius auritas: *lib.* 1. *od.* 12. & Capripedes *auritos lib.* 2. *od.* 19 hinc reges Ἀκεςὰς fatemur; idem de Midæ auribus Judicium esto: vid Cruq. *ad Horat. od. all.* 19. Quid sibi velit Xerxis apophtegma *animum habitare in auribus* ex iisdem licet colligere: vid. Heidfeld. *Sphinx. c.* 13. ergo erit hæc pœna justitissima in stupri attentati reos, utpote nec prole nec memoria dignos, at plectendos gravius, si consumptum fuerit stuprum regulariter morte, tam quoad mores Belgii, quam Germaniæ & Galliæ: vid. Sand. *lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 10. Leevven *Censur. Forens. lib.* 5. *c.* 23. *n.* 10. *Constit Crim. art.* 119. §. so jemand einer secus vero si fuerit vo-

voluntarium, hoc enim, si stupratores sunt honesti, punitur dimidiæ bonarum partis publicatione, si humiles ac viliores, corporis coërcitione cum relegatione: §. 4. *J. de publ. jud.* hodie arbitrarie. Dn. Stryck *us. mod. tit. de adult.* §. 18. immo jubebat lex Mosaica ut stuprator puellam & duceret & dotaret: *Deut.* 22. *v.* 29. *Exod.* 22. *v.* 16. Gilhaus. *arb. jud. c.* 2. *t.* 21. *n.* 6. Philipp. *us. Pract. lib.* 4. *ecl.* 84. quæ tamen hodie alternative resolvitur, ut aut ducat, aut dotet: honor. Dn. Parens *Lib.* 4. *aphor.* 141. Sande *lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 10. Wesenbec. *parat. ad. L. Jul. de adult. n.* 21. Berlich. 5. *concl.* 38. *n.* 15. Carpz. *Prax. Crim. p.* 2. *qu.* 68. *n.* 14. *&. seqq. &* conf. quæ dixi *de Jure Sanctor. cap.* 1. *th.* 10. abrogata illorum consuetudine, qui stupratoribus barbam desecabant, atque ut infames dimittebant: de qua sectione vid. Camerar. *oper. subsic. cent.* 1. *cap.* 36.

*Th.* 29.

Numam Pompilium in duodecim menses annum divisisse, atque in certa dierum genera descripsisse, ita ut quidam sint fasti, alii nefasti, alii intercisi, testantur historici uno ore omnes: illi erant dicati Diis, isti rei privatæ adscripti, hi vero Deorum hominumque communes.

Flor.

Flor. *lib.* 1. *cap.* 2. Rosin. *ant. lib.* 4. *cap.* 1. Alciat. & Gœdd. *ad l.* 98. *de V. S.* fastorum tanta est religio, ut non modo sacri habeantur, sed & religiosi ac sancti: *l.* 7. *C. de fer.* ibi: *sacros*: ibi *sanctissimis*. *l. ult. C. eod:* ibi *religiosi*: veniantque per excellentiam sub voce *feriæ* simpliciter posita: *rubric. ff. de. fer. & dil.* neq; enim ullis permissum est in illis operari voluptatibus, nec ullis vacare negotiis profanis, sed omnium publicorum, privatorumque debitorum cessat exactio, omnium actuum tam publicorum quam privatorum dormit executio, cunctorum Judiciorum & compromissorum quiescit strepitus, cessant artium omnium officia, Juramenta, commercia, nuptiæ, venationes, choreæ, saltationes, & omnia in genere opera quæ adversantur sanctificationi hujus diei, adeo ut nec studiosus die Dominico studiis suis, collegiis forte repetendis possit impendere *l.* 3. *l.* 7. *l.* 8. *l. ult. C. de fer.* licet aliis diebus sacris post conciones publicas id ei prohibitum non sit, quippe

*Qui vult Sanctorum celebrare singula festa,*
*Non poterit clare cum Codice scire Digesta.*

vid. honor. Dn. Parentis *Admonit. part. ff.* 1. § 129. Sane si diebus fastis negotium

aliquod esset celelebratum, erat illud non solum ipso jure nullum, sed & afficiebantur contrahentes desuper extraordinaria adhuc quadam pœna *c. ult. x. de fer. l. 5. C. de. LL. l. 13. ff. de pœn.* ita ut nec Principis dispensatio hic locum habeat: *l. 36. de. rec. arb. l. 7. C. de fer.* Struv. *ex. 5. th. 35.* secus si ipsa necessitas, quæ legem non patitur, dispenset, varii enim possunt contingere casus, ut negotium ulteriorem dilationem haud patiatur, tum enim, quin expediri queat, nullatenus est dubitandum e.g. quando agitur de captura suspectorum de fuga, Frantz 1. *qu. Crim.* 109. sic permittitur in *l. 3. C. de fer.* agrorum vinearumque cultura, cum non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandari possunt, ne occasione momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa: imo putat Braunius eum contr. omnem charitatem, contra bonum publicum, & contra officia amoris erga proximum agere, qui id fieri prohiberet. Ergo sane nec damnandus est Barbitonsor, qui hoc die, si fortean aliis diebus vel non potuerit, vel notabiliter fuerit impeditus, barbam abrasit, præprimis si talem tibi cum Borgesio Collega quondam meo *in Enodat. jur. Nat.*

*Nat. cap* 5. §. 18. casum posueris: sc. *Pastor promissam alebat barbam, uxor ipsius impia rixans agitans cum eo, furibunda partem barbæ arripit evellitque, an non liceret huic tonsorem vocare, ut & barbæ partem reliquam novacula sua tollat?* Omnino clarissime Borgesi: & quidni & extra hunc rarum singularemque casum officio suo fungetur, quoties nimirum honestas aut necessitas id exigit? vid. Ames. *de Cas. Consc. lib.* 4. *cap.* 33. *n.* 11. Braun. Syst. Vol 2. *part.* 4. *cap.* 5. §. 29. peccant igitur illi Barbitonsores, qui ita negotia sua dirigunt, ut diebus sacris, quibus alia tractare nequeunt, barbæ unice vacent, atque per totum fere diem nihil aliud agunt, nisi ut barbas abradant, pecuniam contra corradant: de quibus Speidelius in voc. **Bart.** sequentia: **Endlich haben sie auch den Sabbaht lieb / wie die Juden / als auf welchen sie ihren Schnit / und Erndte haben / und ist ihnen lieber als der Sontag.** Quamvis enim sub Novo Testamento nullus dies nullaque tempora observanda sint amplius vi quarti præcepti, neque dies Solis hodie tam rigida quiete observetur, ac olim sub Veteri Testamento, morale tamen est ut colatur Deus, utque tempora ad cultum

iſtum peragendum certa à Magiſtratu Chriſtiano conſtituantur, conſtituta à quolibet ſanctè obſerventur, nec lucri aut quæſtus cauſa ſine urgente neceſſitate violentur.

*Th. 30.*

Pignus in rebus, quæ in bonis ſunt conſtituentis, rectè conſtitui poſſe, tralatitium eſt: ſive res ſint corporales, ſive incorporales, ſive præſentes, ſive futuræ. *l. 4. ff. l. 4. l. 6. C. quæ res pign.* immo in omnibus regulariter rebus, usque dum probetur exceptio: Sim. van Leeuvven. *Cenſ. For. l. 4. c. 7. part.* 1. *n.* 18. qualis eſt in fundo dotali, re litigioſa, feudali: Struv. *de feud. c.* 13. *th.* 7. 2. *F.* 55. Stryck. *uſ. mod. lib.* 20. *tit.* 3. §. 3. armis *l.* 14. §. 1. *ff. de. re. mil.* arg. *l.* 2. §. *ult. ff. de capt. & poſtl. rev.* ſtudioſorum libris: arg. *l.* 7. & 8. *C. quæ res pign.* inſtrumentis ruſticis: *all. l.* 7. & 8. quæ tamen hodie oppignorari poſſunt. Leeuvven *d. l. n.* 23. nam quæ res recipiunt venditionem, illæ etiam poſſunt oppignorari: *l.* 9. §. 1. *de ping. & hypoth. l.* 18. §. 4. *de ping. act.* Dn. Voet. *ff. quæ res pign. obl. n.* 1. licet executio in illis non fiat, quamdiu aliæ res adſunt. Dn. Stryck. *d. l. n.* 5. quid an igitur & Barba, quæ extra commercium videtur eſſe,

poterit

poterit pignoris loco esse? apud Græcos sane in nulla re majus atque sanctius constituebatur pignus, quam in barba: Camerar. *subcis. cent. cap.* 36. obligabantque Orientales eam pro pignore omnium pretiosissimo: Bessel. *ad Eginhart. de Vit. Car. Magn.* hinc Crusius *in epigr.* 62. *lib.* 7.

*Quin sanctum pignus sum multis:*

ubi in notis sequentia: *Olim pro sanctissimo pignore, si cui barba obligata esset, habita fuit, de qua re duæ elegantissimæ historiæ recensentur in appendice Chronologiæ Nicephori, opera Joach. Camerar. editæ*, neque credas id contra pignoris naturam esse, quasi hoc in re mobili duntaxat consistat, *l.* 238. *§.* 1. *ff. de V. S.* barba vero referatur ad res immobiles, arg. *l.* 44. *de R. V. l.* 7. *§.* 10. *ff. de A. R. D. l.* 7. *§.* 10. *ff. quod vi aut clam.* falsum enim est, pignus duntaxat consistere in rebus mobilibus, *§. ult. J. quib. mod. re contr. obl.* ibi. *pignus:* ibi: *re:* junct. *l.* 8. *ff. de. publ. in rem act.* immo expresse legitur in *§.* 19. *J. de inutil. stipul.* quod res immobiles æque oppignorari, queant: neque obstat *d. l.* 238. *§.* 1. *de. V. S.* respondet enim honor. Dn. Parens *Lib.* 3. *aphor.* 83. *ineptam etymologiam esse, pignus dicere eo sensu à pugno, cum ita neque omnes res mobiles, sume*

*me jumenta oppignorari, pignus ſint: ſi tamen pignus à pugno deſcendit, dicerem potius id ideo fieri, quia pignus à creditore pugno coërceri, aut quia creditor ei pugnum imponere poteſt, utpote rei quam poſſidet*: Quibus accedit, quod in oppoſita lege non dicatur, pignus conſiſtere tantum in re mobili, ſed quod *quidam* hoc *putent*, & quod hactenus *videatur* verum eſſe, in re mobili proprie conſtitui pignus: at quis neſcit verbum *videri* in genuina ſua ſignificatione notam habere improprietatis, licet talem ſenſum non habeat in §. 20 *J. de. act.* cum τὸ *videntur* ibi ponatur pro *ſunt*, quemadmodum in multis aliis textibus ita ſumitur, vid. e.g. *l. 8.* §. 1. Junct. *l. ult ff. de cond. furtiv. l.* 1. §. 3. *de flumin. l.* 1. §. 17. *de vi & vi arm. l.* 15. §. 1. *de judic. l.* 1. §. 21. *de A. A. P. l.* 2. §. 6. *de in diem add.* §. 21. *J. de R. D. ita ego inquit Giphan. in Comment. ad l.* 1. *eth. c.* 2. *animadverti Ariſtotelem tribus hiſce verbis* δοκεῖ *ſeu* δόξειεν *&* φαίνεται *etiam in rebus certiſſimis mille locis uti, credo modeſtiæ cauſa, aut etiam elegantiæ:* Cellar. *Polit.* 1. *c.* 1. §. 14. *ita Thucidides:* δέδοκται μοὶ κατθανεῖν: *conf. Dn. Homberg. Meditam. theor. pract. pag.* 50. *in fin.*

*th.*

Th 31.

Gravis est inter Doctores controversia, num pœna suspendii, quæ furibus aliquando dictatur, cum justitia & æquitate conveniat? verum cum penes Summum Imperium Civile sit pro salute Reipublicæ & Societatis conservatione pœnas definire, ita ut & illas, quæ jure Divino dictatæ sunt, si hæ ad subditos in officio continendos non suffecerint, aggravare & tanquam Custos utriusque Tabulæ Decalogi etiam ad mortem usq; extendere possit nullum est dubium, quin etiam in puniendo furto eadem gaudeat potestate, Pufendorff. *de Offic. hom. & civ. lib* 2. *cap.* 13. §. 17. ad id enim tendunt pœnæ, hunc in finem exiguntur, eoque respicit Jus illud gladii Summo Magistratui à Deo concessum: Paul. *ad Roman. cap.* 13. *v.* 4. ut consequenter pœna suspendii, ob furtum qualificatum, tertia vice iteratum, & aliquando ob magnum locum habens, nulla macula laboret, nulla iniquitate, nulla injustitia, sed ex hoc fundamento summopere justa haberi debeat, salutaris, & aliquando certoque respectu necessaria: honor. Dn. Parens *ad Inst. Lib.* 4. *aph.* 12. Hopp. *ad* §. 5. *J. de oblig. quæ ex del. nasc.* & licet dissentientes

op-

opponant, in Jure divino non exstare exemplum, quo probari possit in fures pœna capitali animadversum, inde tamen non sequitur, ergo nec potest nec debet Princeps ita animadvertere in fures, cum sufficiat ostendisse pœnarum determinationem à Principe jure supremæ Potestatis dependere, Ziegl. *de Jur. Maj. l.* 1. *c.* 5. §. 52. *& seqq.* ita ut ab eo, quibusdam exceptis, cum mitigari tum etiam pro Reipublicæ utilitate, & societatis meliori conservatione aggravari possint: Excell. Thomas. *Inst. jurispr. Div. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 118. Immo nec destituitur sententia nostra omni exemplo, constat enim ex. 2 *Sam.* 12. *v.* 5. Davidem in furem, qui ovem abstulerat, sententiam capitalem dixisse: putat quidem Amesius *de Cas. Consc. lib.* 5. *cap.* 52. Davidem tum temporis ira valde accensum fuisse, at esto id ita esse, tamen est exemplum, quamvis, ut modo monitum, ne quidem eo habeamus opus, sufficit hanc enim pœnam nullibi prohiberi, sufficit Magistratui pœnarum determinationem relictam esse: Struck. *us. mod. tit. de furt.* §. 11. neque enim semper nec in omnibus locis statuitur eadem in fures pœna: vid. Kerckerman. *Disp. Pract.* 32. *qu.* 2. quid? apud Ægy-

Ægyptios erant furta permissa & plane impunita, vid. *supr. th. 6.* item apud Lacedæmonios Gell. *noct. Att. lib. 11. cap. 18.* idem voluit Lycurgus inter Spartanos: vid. Bonifac. *de furt.* §. *quod jure naturali. n. 7.* Draco contra quodlibet furtum punivit morosissime, ut qui vel stercus bubulum abstulisset, capitis afficeretur pœna: Alex. ab Alexandr. *lib. 6. gen. dier cap. 10.* apud Longobardos eruebatur furibus pro primo furto oculus, pro secundo amputabatur nasus, pro tertio suspendebatur vid. Gloss. *ad l. 28.* §. 15. voc. *furca, ff. de furt.* aliquando præsecabatur illis barba: Camerar. 1. *cent. 36.* unde Hotoman. in *lib. 2. F. 27.* §. 8. pro *tundatur* reponit *tundeatur*: loquitur enim textus de instrumento forcipis, sive ut alii; forpicis, quod est proprium tondendi pilos, juxta illud,

*Forfex filorum, ceps ferri, pex capillorum.*

vid. Joann. Bonifac. *de furt. all.* §. *quod jure. n. 23.* Speidel. *notab. jur. hist.* voc. Dieb. Balthas. Bonifac. *Ludicr. Hist lib. 4. cap. 27.* rationem, ob quam furibus barba supputabatur, existimat Gandinus *in tr. de Pœn. n. 56.* hanc esse, scil. *ut à tonsura noscerentur*: quo ipso tum confirmatur, quod supra de Longobardis adduximus,

mus, eos nimirum nomen à longis barbis habere: tu dic rationem consistere in gravi contumelia, qua per istam tonsuram fures afficiebantur, notabanturque, qua de re non solum furibus deruncinabatur barba, sed & criminis sæpe alterius reis, uti e. g. stupratoribus, vid. *supr. th. 28. in fin* castratoribus: *Nov. Leon. 60.* sæpe etiam ob levem aliquam causam, *nam si cui Rex iratus esset*, inquit Ismael Bullialdus *in notis ad. Duc. Hist. c. 15. ignominiæ & pœnæ causa barbam homini præcidi jubebat* conf. Gothofr. *ad 2. F. 27. §. 8.*

*Th. 32.*

Imo vel hæcce thesis probat satis superque, quam utiles, quam necessariæ, quam salutares sint de Barba cogitationes: dic enim, quid vult sibi oleum descendens in barbam Aaronis? quid notant veterum allegorica commenta de lepra in capite & barba? quid intelligis per fragrantem Aaoronis barbam? profanus est, qui parvi hæc ducit, hæc inquam, quæ tum Domini nostri Jesu Christi, tum ipsiusEcclesiæ, tum animæ nostræ typum referunt pulcherrimum: quod enim ad primum attinet, in confesso est apud omnes, per id respici tum ad abundantiam Spiritus sancti in barbam, id est Chri-

Christi humanitatem, per omnes partes, id est sine mensura effusi, tum etiam ad fideles Novi Testamenti in barba adumbratos utpote de oleo in caput effuso Aaronis participantes: ita sane Reizius *ad Godvv. Mos. & Aar. lib. 1. c. 5. n. 3. Oleum descendens in barbam ac togam Aaronis notat (1) Spiritum S. non ex mensura effusum in Christi humanitatem, in qua velut Sacerdos passus est, & in qua potentissima Deitatis opera eluxerunt. Act. 10. v. 38. nam vestis est* γέννημα *fœtus terræ, & notat Christi* ἀνθρωπότητα *humanam naturam Esa. 63. n. 2. (2) Barba & toga simul quoque notant membra Christi, quæ participant de unctione Christi. Primo effusum fuit oleum in caput Aaronis, sic Christus à seculo unctus est. Prov. 8. 23. deinde descendit in barbam & togam h. e. omnes fideles Novi Testamenti fratres Christi* κατὰ σάρκα *quoad carnem, & in quibus velut veste habitat & vivit. Sic de Ecclesia dicitur, quod velut ornamentum induat fideles Esa. 49. 18.* De secundo, lepra scil. in capite & barba, exstat sequens apud P. Hulsium *in Disput. de Aspers. per Hyssop.* §. 13. allegoria: *nisi forsan eodem intuitu placuissent Veterum quorundam allegorica in lepram commenta, quatenus videlicet lepræ quædam species figuram gesserint*

*hæresium, ut lepra in capite hæreseos contra Deum Patrem, qui caput & Christi, lepra in barba hæreseos contra Filium, qui circa annum ætatis 30 ad baptismum accessit, rursum lepra in Capite, contra Divinitatem Jesu Christi, lepra in carne contra ejus humanitatem, & quæ id genus alia.* De tertio est hæcce apud Camerar. *Op. sub, cap.* 36. expositio: *Origines, & Hieronymus nos docent, quod Barba & capilli in sacris Litteris, non tanquam res corporeæ intelligendæ, sed metaphorica significatione ad animam referenda sit: huic enim hoc modo barba, capilli, aliæque corporis partes attribuuntur: id apparet ex Psalmo de fragranti barba Aaronis: eodem modo, ubi Lege divina filiis Aaron præcipitur. Non radent caput, neque barbam: ibi Hesychius & Hierosolymitanus ait, caput & barbam sapientiæ & perfectionis nostræ est signum.* Quoniam igitur per oleum descendens in barbam Aaraonis respiciebatur ad abundantiam Spiritus sancti, quem verus Maximus Pontifex sine mensura recepturus erat, hinc debuit oleum illud effusum non tantum descendere in hanc vel illam partem barbæ, sed in & per integram barbam, ac per omnes ejus partes, adeo ut universa barba oleo isto madefieret

non

non obstante, quod Talmudici de duabus tantum guttis de barba pendentibus & speciem margaritarum exhibentibus, faciant mentionem, contrarium constat enim ex *Psalm.* 133. *v.* 2. cui tum accedit, quod Aaron barbam habuerit, ut tradunt, per genas ad ambas usque aures diffusam, neque in sola barba hæserit oleum istud, sed ad ipsas etiam vestimentorũ oras, quod de duabus tantum guttis haud dici potest dimanaverit: Martin. Geier. *Præl. Publ. in Ps.* 133. *v.* 2 hinc Dn. Arnold. Moonen *in de Liederen van Hammaaloth pag.* 414: *om dat eindelick, oock de priesteren zoo vvel, als de gemeene Israelyten, verboden vvas de hoecken von hunnen baert afteſcheeren, vveshalve de ongeschoren en noderhangende baert des Aertspriesters, tentyde zyner zalvinge alrede out, de heilige zalfoli overvloedigh, hebbende ingezogen, die nootvvendigh most storten op den beneden zoom zyner kleederen* conf. Dn. Salamon. *van Til in Ps.* 133. *p.* 345. ubi sequentia: *De pristres der Joden mogten den baert niet scheren Lev.* 21. 5. *en dus droop de olie van t' hooft in den baert, vvaermede een ryke overstorting van salfolie te kennen gegeben vverd: betekenende dat de vvare Hogepriester den geest suode ontfangen sonder mate.* M 3 th.

*Th.* 33.

Morem abradendi barbas introductum esse apud Romanos anno ab U. C. 454. eumque durasse ad Ælium Hadrianum, notat Xiphilinus, probant nummi: Math. *th. hist. in Ulp. Traj. p.* 175. Varro *lib.* 2. *R. R. c.* 11. Plin. 7. *nat. hist.* 59. Gell. 3. *c.* 4. apud Persas vero Grecosque Alexandrum barbæ rasionem primum induxisse ostendit Chrysipp. *lib.* 4. *de volupt.* Geier. *de luctu Ebr. cap.* 8. §. 4. quare autem Hadrianus ab hoc instituto recesserit, de eo dat Biccius *in Aur Jur. Civ. Just. in prol.* §. 4. sequentem rationem: *& Gregorius quidem ita à nomine Studiosi, qui eum collegerat, dictus continebat constitutiones Imperatorum ab Hadriano (qui ut primus inter Imperatores tegendis faciei cicatricibus barbam aluit, ita & primus est, cujus constitutiones codicibus illatæ fuerunt) usque ad Valerium & Gallienum:* quid audio Imperator Hadriane? barbam assumsisti ad tegendas faciei cicatrices? quid? num oportet viros etiam, ne dicam Imperatores, formæ habere curam? numne id feminis convenientius, feminis inquam, virginibus volebam dicere, puellis, delicatioribus pupulis, maculosis istis oviculis? quæ cum omnem sæpe dotem in fron-

fronte gerunt, merito quoque habent cicatricum rationem: adeo ut si per effusionem, vel ejectionem damnum ipsis sit illatum, & judici incumbat cicatrices æstimare: Brunnem. ad *l.* 13. *ff. ad. L. A. n.* 5. Gothofr. *ad l. ult. ff. de his qui dej.* verum uti forma viros neglecta decet, ita nec congruit cum virili fortitudine, in eum finem, ne conspiciantur mariscæ vultus, barbam habere promissam, ita ut nec pro cicatricibus aliquid peti possit, quamvis id velint rabulæ forenses: vid. honor. Dn. Parens *Rer. Quot. lib.* 9. §. 32. *qu.* 5. conf. *Exod* 21. *v.* 19.

*Th.* 34.

Quot sunt Civitates, tot sunt jura Civilia, nam si quis velit Solonis vel Draconis leges appellare Jus Civile Atheniensium, non erraverit, sed quoties non additur nomen, cujus sit civitatis nostrum, i. e. Romanum significatur: *§.* 2 *J. de. jur. nat.* sæpe enim accidit ut verba, quæ alias in se sunt generalia, unum tamen alterumve κατ᾽ ἐξοχὴν notent: ita videmus sub appellatione *Virginis* in specie venire Elisabetham Angliæ Reginam, item Venerem, hon. Dn. Parens *de Jur. Virg.* §. 28. nec non Palladem: quapropter Domitianus Vespasiani filius se Virginis filium dixit,

id eſt, Palladis: Chriſt. Clauſ. *hiſt. in Domitian.* ita intelligimus per *Poëtam* ap. Græcos Homerum, apud Latinos Virgilium, ſicuti per *Prophetam* in ſacris Moſen. Polman. *Racem. ad.* §. 2. *J. de Jur. Nat. n.* 7. ita notat *bonus vir* per excellentiam Judicem. vid. quæ dixi *de Bon. Vir. in pr. linea* æquatorem ſive mediam Cluver. *intr. Geogr. l.* 1. *c.* 3. *diabolus*, *ſatanas*, principem malorum angelorum. Schvveling *Pneumat.* §. 149 *Reſpublica* Romanam: *l.* 16. 17. *de V. S.* Dan. Otto *de Jur Publ. c.* 2. *pag.* 39. *Servi Dei* pios & fideles: *Num.* 14. *v.* 24. Geier *in Pſ.* 79. *v.* 2. *Infante* apud Hiſpanos Regis filium ſucceſſorem: Hier. de Cantoral. *mil. art. pract. lit. E.* 3. *actio in rem* in ſpecie Rei vindicationem: hon. Dn. Parens *lib.* 1. *aph.* 41. ita ſciendum eſt *Barbatum* κατ᾽ ἐξοχὴν poni pro Hirco, uti in illo Phœdri *lib.* 4. *fab.* 8. *Immiſit ſe Barbatus* Platoni contra ille dicitur *Barbatus* qui Vir eſt, & ille eſt ipſi vir, qui eſt barbatus: ἀνὴρ μέντοι ὦ Σώκρατες, ὥ γ᾽ ἐν αὐτοῖς ἡμῖν εἰρῆσθαι, καὶ πώγωνος ἤδη ὑποπιμπλάμενος.

*Th.* 35.

Ohe! quale hoc eſt ædificii genus in conſpectu poſitum tam inauratæ figuræ? aut Salamonis aut Dianæ templum? aut Herculis palatium? aut Coliſeum?

Se-

Sedes est Justitiæ consecrata, cujus partes si mecum penitius perlustraveris Philarete, confestim patebit, cur imberbis sit hæc Dea, glabra, & ore virgineo: Justitia enim debet esse pura, immaculata, sancta, non sordida, non terribilis: sicuti suavissimæ alicujus virginis facies, cui

*roseo quandoque pudore*

*Pingit lacteolas purpura grata genas,*

omnium animos ad se trahit rapitque, ita ametur quoque justitia ab omnibus, ita colatur, ita observetur: Justitia sit puro mento, sine barba, i. e. semper eadem, immobilis, omnibus patens, neque instar barbæ modo tonsa, modo promissa, sed constans & perpetua: quod triangularis illa turris, quæ tibi Philarete templum videbatur eminus, ob oculos ponit, ecce enim unus angulus est, *honeste vivere*, alter, *alterum non lædere*, tertius, *suum cuique tribuere*: sex vides lapides principales, cum inscriptione *Religionis*, *Pietatis*, *Observantiæ*, *Veritatis*, *Gratiæ & Vendicationis*, duos fundamentales, *Fidei & Charitatis*, adest turri scala, cui nomen *Spes*, duæ reperiuntur portæ, *Prudentia & Fortitudo*, una aperitio, *Silentium*, pro scuto est *Æquitas*: vid. Hieron. de Cevallos *de Cogn. per viam viol. Gloss.* 17.

*n.* 22. *&* *seqq.* solet profecto Ecclesia Christi ob eandem rationem comparari cum virgine, debet enim doctrinam veritatis cœlestis incorruptam servare, quamvis propter graves, quibus sæpe premitur persecutiones, non virgo, sed vidua dicatur, inque eo vere differat à purpurata illa meretrice, superbo clamante fastu, *non sedebo vidua, non videbo malum. Apocal. c.* 18 quamvis autem Justitia in jure nostro non cosideretur ut Dea, licet id statuant Donellus & Hotomannus, ut demonstravi in *Comm. theor. pract. ad Laut. pag.* 34. tamen fecerunt eam, Romani, æque ac cœteras virtutum species, Deam, sed, ut dixi, imberbem, glabramque, forma atque filo virginali, aspectu vero simul vehementi, & formidabili: apud Eustathium de Ismeniæ & Ismenes amoribus conspicitur ut virgo, ex nube decidens, rubra veste induta, ore gestuque decoro pedes usque ad tibia nuda, comam collectam in tergum habens rejectam, stateram flammamque manibus gestans, cœlumque adspectans: hon. Dn. Parens *de Jur. Virgin. p.* 1. *c.* 1. *§.* 52. apud Ægyptios pingebatur absque capite, Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib.* 4. *c.* 12. sine dubio ob eandem causam, quæ Romanos

mo-

movit, ut Virginem illam facerent formidabili aspectu, oportet enim judicem, qui justitiæ antistes est, esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem, immaculatum, glabrum, blandum, humanum, contra improbos, nocentesque immisericordem atque inexorabilem, erectumque & arduum, ac potentem, vi & majestate æquitatis veritatisque terrificum: Gell. *noct. Att. lib. 14. c. 4.*

*Judicis est recti, nec munere, nec prece flecti &*
*Sede sedens ista, judex inflectibilis sta.*

habes hunc versum apud excellentissimum Thyllium in *tr. de Qualit. in Jus. Dic.* ubi in genere de officio boni judicis agit eleganter & nervose: notabilis est inscriptio, quæ Lubecæ in templo Mariæ ad sessibulum Dominorum Consulum: **Richte recht/ und schone den Nyken nicht.** Berckem. *Cur. ant. part. 1. pag.* 287. ἴσον καὶ κοινὸν debere judicem esse eleganter Græci dicunt: hinc Prudentius:

*gentibus justam positurus æquo*
*Pondere libram.*

Chalcidius in Platonis Timæum: *æquum judicium carere gratiæ, misericordiæque anticipationibus debet.* Seneca in Medea: *si judicas cognosce: si regnas jube.* Neq; enim Zlotababæ, in confinibus Lituanorum

ac

ac Moscovitarum statuæ, decet judices vestigia premere, certis munusculis à viatoribus placandæ, si quam anhelent suscepti itineris securitatem: vid. Olaus Magnus *de rit. gent. sept. lib.* 3. *cap.* 1. *in fin.* usque tamen adeo depravata est natura humana, ut etsi justissima sit causa, nisi tamen quibusdam charismatibus tibi viam paraveris, vel inhospitalem Caucasum timere debeas: unde hodie multi sequi coguntur exemplum Jacobi, de quo in *Genes. c.* 32. *v.* 13. *& seq.* sequentia: *Deinde pernoctans ibi nocte illa, accepit ex eo quod veniebat sibi ad manum munus offerendum Hesavo fratri suo: capras ducentas, cum hircis viginti, oves ducentas cum arietibus viginti; camelos feminas lactantes cum pullis earum triginta, vaccas quadraginta cum juvencis decem: asinas viginti cum asellis decem: quumque traderet in manum servorum suorum quemque gregem seorsim: edixit servis suis, transite torrentem ante me, & spatium interponite inter gregem unum & alterum: præcepitque primo dicendo: quum tibi occurrerit Hesau frater meus, & interrogaverit te dicendo, cujus es? & quo abis? & cujus sunt ista quæ antecedunt te: tum dices, sum servi tui Jacobi, hoc est præmissum munus domino meo Hesavo, ecce autem ipsum quoque*

que

*que subsequentem nos: idem præcepit tum secundo, tum tertio, tum omnibus aliis prosequentibus greges illos, dicendo: in hanc sententiam alloquimini Hesavum, quum inveneritis eum: sed dicetis etiam: ecce Jahakobum servum tuum subsequentem nos: dicebat enim Jahakob, placabo vultũ ejus hoc munere quod procedit ante me, ut postea aspiciam vultum ejus, fortassis suscipiet vultum meum.*

*Thes.* 36.

In quæstione, num vulneratus, si ex intervallo mortuus sit, ex vulnere mortuus præsumatur, scimus judici recurrendum esse ad judicium Medicorum: *l. 8. C. de re milit.* communis enim est regula, quod artifici in sua arte credendum sit: *arg. c. 4. x. de prob. l. 79. §. 1. de legat. 3. l. 12. de S. H. l. 11. §. 1. C. de Advocat* 1. Plaut. *in Rud. act. 4. sc. 3. v. 55. ego qui sum piscator scio:* nam

Bartolus de juribus,
Hippocrrates de pharmacis
Et Musicus de Musica,
Et vinetor de vinea,
Pistorque de siligine,
Dijudicabit optime.

vid. Vogt. *de Camb. pag. m.* 18. quæ regula adeo vera est & à Doctoribus eousque approbata, ut judex ab assertione Medici,

de qualitate vulneris teſtantis, utrum lethale ſit, necne, recedere non poſſit, Gail. 2. *Obſ.* 111. *n.* 7. Stryck. *de Jur. Senſ. Diſſ.* 1. *cap.* 2. *n.* 19. modo prius juramentum præſtiterit Medicus, *Conſtitut. Crim. art.* 149. ibi: **Die dann zuvor dazu beeydiget werden ſollen.** Rauchbar. *part. ult. Quæſt.* 2. *n.* 94. non quidem veritatis ſed credulitatis, Mynſing. *cent.* 6. *Obſ.* 34. *n.* 12. niſi ſit in publico judicio, & in principio ſuſcepti judicii juraverit: vid. Dn. Thyll. *ad Gail.* 2. *Obſ.* 111. hujus enim juramenti tanta eſt vis, ut ad omnes actus ſe extendat. Dn. Stryck. *all. Diſſ. n.* 30. ita ut de novo jurare neceſſe non habeat. Finckelt. *Obſ.* 61 *n.* 32. quæritur autem quinam hic veniant appellatione Medicorum, an ſaltem Medicinæ Doctores, num vero & alii ejuſdem artis periti, num etiam Chirurgi, obſtetrices, Barbitonſores, Pharmacopæi? quos Medicorum cocos nonnemo vocat, illorum enim eſt præparare, ſicuti Medici eſt exhibere vid. Sennert. *lib.* 5. *p.* 3. *ſect.* 2. *c.* 1. de chirurgis nulla eſt dubitatio, quin in hac quæſtione pari cum Medicis paſſu ambulent. *l.* 1. §. 3. *de extr. cogn. l.* 1. §. 5. *C. de Comm. ſerv. man.* all. Conſt. Crim verb. **Wund-Artzen.** Gail. *d. Obſ. n.* 12. imo Maſcardus aſſe-

asserit *Vol.* 3. *de Prob. concl.* 1175. *n.* 39. hoc in casu chirurgo magis quam medico credendum esse, quod tamen conclusi universalis nomen vix meret, judice Stryckio *all. Diss. n.* 21. De obstetricibus notandum, quod quamvis & illæ Medicis annumerentur, horumque numero habeantur, medicinam exhibere & artem profiteri dicantur, *l.* 1. *ff. de ventr. insp.* *l.* 1. §. 2. *ff. de extr. cogn.* quamvis ἰατρῖναι in Basilicis appellentur Gothofred. *ad l.* 9. *ff. ad. L. A.* & ad *l. pen. C. de Posth. her.* eodemque pretio, sexaginta solidis, quo Medici, æstimantur. *l.* 3. *C. Comm de Legat.* tamen nullibi legitur, illas ad inspectionem quoque cadaveris adhibendas esse, uti quidem adhibentur ob rationem longe diversam, quando agitur de maturitate partus, de graviditate, aut de virginitate, curam enim gerunt mulierum signatarum, id est, prægnantium, Scip. Gentil. *lib.* 1. *parerg. c.* 16. in Hispania coguntur sectionibus etiam interesse, Augen. *consult. lib.* 1. *cap.* 6. apud Athenienses concedebatur illis medicinæ usus necessitatis ac pudoris gratia, ne mares medicos adhiberent curandis partibus, quibus mulieres sunt: Gothofr. *ad all. l* 9. Speidel. voc. **Hebammen.** & licet Cujacius

cius 17. *Obſ.* 27. *in fin.* difficile dicat eſſe ac inpoſſibile, ut obſtetrix de virginitate certo judicare poſſit, neque hujus rei uſquam legatur illis delatum arbitrium, non deſunt tamen docti viri obſtetricis relationi fidem adſcribentes: Maſcard. *Vol.* 3. *concl.* 1130. *n.* 1. *&* *concl.* 1175. *n.* 7. Zanger. *de tort.* c. 2. *n.* 168. vid. hon. Dn. Parens *in tract. de Jur. Virg. p.* 1. §. 30. at quid dicam de Barbitonſoribus? eruntne & illi ad inſpectionem vulnerum adhibendi? de illis loquor Barbitonſoribus qui non ſimul Chirurgi, utpote cum de hiſce in allegata Coſtitutione Criminali Caroli Quinti expreſſe ſit cautum, ut conſequenter ſtatuendum ſit, nudos Barbitonſores, nil niſi tonſtrinam exercentes eo ipſo excludi: affirmat id expreſſe, dictante etiam ſana ratione, Stryck. *d. Diſſ.* *n.* 19. hiſce verbis: *Non enim nudi barbitonſores, ſed ejusmodi Chirurgi hic intelliguntur, qui anatomiam, conſtitutionemque humani corporis norint exacte:* unde Doctores, de Barbitonſoribus hac in materia, mentionem facientes, ſine dubio ad iſtos Barbitonſores reſpiciunt, qui ſimul ſunt Chirurgi, nam & apud Latinos ponitur tonſtrina quandoque pro Chirurgi domo, uti in illo apud Adagiorum Magiſtrum

giſtrum

gistrum, *recta ad tonstrinas currere.* Et ita cape Dn. Ludovici verba in tractatu cui titulus: **Einleitung zum Peinlichen** Procefs: *cap. 1. §. 15.* dum inquit: **Unter dem Namen der Wund-Aertze werden in diesem Fall nicht nur** Doctores Medicinæ, **sondern auch die Barbierer verstanden.**

*Th. 37.*

*Nonne tibi dubiam traxit sententia mentem,*
*Radere num barbam fœmina Jure queat?*

quamvis enim masculi id munus ubicunque terrarum hodie obeant, quæri tamen non absque ratione posset, numne id etiam fœminis sit permissum, id est, an cum sexu fæminino, & cum Legibus conveniat, ut fœminæ tonstrinam, sive artem tonsoriam exerceant? videtur id prima fronte negandum: propterea quod fœminæ remotæ sint ab officiis cum virilibus tum civilibus & publicis: *l. 2. de Reg. Jur. l. 18. C. de Procur.* quod fæminarum proprium sit munus curare domum, & accipere, & tueri acceptum: *l. 14. §. 1. ff. de ædil. edict.* quod sit contra pudicitiam sexui congruentem ejusmodi cum viris familiaritas *l. 1. §. 5. ff. de postul.* quod periculum subsit ne si fortean studioso Juris operas suas locaverit, hic ad Pandectas Theodoræ recurrendo varias oppo-

nat exceptiones, occaſio facit furem, pone Lucretiam eſſe, tamen inveniet ſuum Tarquinium, melius ergo erit in tempore occurrere, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere: *l. ult. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit.* at quamvis hæc aliquam habere videantur argumenta ſpeciem, tanti tamen non ſunt momenti, ut poſſit propterea fœminis tonſtrinæ tractatio jure interdici: præprimis cum allegatæ leges *2. de R. J.* &. *18. de Procur.* non excludant fœminas ab omni quocunque negotio, quod à viris hodie, fortaſſean quod horum ſexui id ſit convenientius, expediri videmus, ſed de *publicis virilibuſque*, ut ſonant verba *officiis*, id eſt, ut Dn. Patruus meus W. J. Pagenſtech. *in Præl. Publ. ad. l. 2. n. 12.* bene explicat, *functionibus*: patet id clarius ex exemplis in ipſo textu allegatis, qualia ſunt, ne magiſtratum gerant, ne poſtulent, ne procuratores exiſtant, & ſimilia id genus alia: quoniam vero ars tonſoria non eſt tale officium, nec functio, fœminisq; negotiorum quoque extrajudicialium permittitur administratio, poſſuntque tabernis præponi, inſtitoris vices ſuſtinere (quod mercatores ſæpe amant facere *ut ſic provocent contrahentes*, judice Gloſſa *ad l. 8. ff. de inſt. act.*)

*act.*) cum viris ſocietates inire, artes fabriles factitare, ſimiliaque munera obire; hinc quid obſtet, quo minus & barbitonſoris præſtent officium, nondum video: habuerunt ſane Romani ſuas Barbi-tonſtrices, quas tonſtriculas vocabant, quarum opera æque publice uſi ſunt, ac virorum, ut vel ex eo manifeſtum ſit, non poſſe hanc ſub officiis virilibus comprehendi artem, adeoque argumentum ex *l. 2. de R. J.* petitum ſua ſponte cadere, ut ruunt ſubductis tecta columnis: ne quis autem dubitet, rem ita ſe habere, rogo inſpiciat inter multos alios vel ſolum Plautum, & inveniet in *Trucul. act. 4. ſc. 4 v. 3.* ſequentia: *tonſtricem meam ſic mulcatam male.* Conferatque notabile exemplum filiarum Dionyſii Syracuſanorum tyranni apud Ciceronem *lib. 5 Tuſcul. Quæſt. 58.* ita loquentem: *Quin etiam, ne tonſori collum committeret, tondere filias ſuas docuit: ita ſordido, ancillarique artificio regiæ virgines, ut tonſtriculæ tondebant barbam, & capillum patris: & tamen ab iis ipſis, cum jam eſſent adultæ, ferrum removit, inſtituitque ut candentibus juglandium putaminibus barbam ſibi & capillum adurerent.*

*Th* 38.

Cum ſenibus, *quorum jam facies computat*

*putat annos*, ut de rugosa vetula loquitur Satyricus, non modo summus debeatur honos & reverentia: *Levit. 19. v. 32. 1. Tim. 5. v. 1. & 2.* Val. Max. *lib. 2. c. 1. A. Gell. 2. Noct. Att. 15. semper enim* consitente Callistrato in *l. 5. ff. de jur. imm. in pr. in civitate nostra senectus venerabilis fuit*, sed & multa magnique momenti privilegia in favorem senectutis sint constituta, necessarium est scitu, quo incipiat senectus anno? non conveniunt inter se hac in parte Doctores: alii putant annum quinquagesimum senectutis initium esse: vid. Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 59.* quemadmodũ apud Sinenses hoc anno transacto viri inter senes coñumerantur: Trigant. *lib. 1. Christ. Exp. apud Sinas cap. 7.* inque Camera Imperii tanquam senes ad testimonium in perpetuam rei memoriam admittuntur. Gail. *1. Obs. 92. n. 7.* Alii malunt hujus decisionem committere arbitrio judicis, Simon. van Leeuwen *Cens. For. p. 1. lib. 1. c. 9. n. 2.* Gail. *all. n. 7.* Zanger. *de quæst. c. 1 n. 39.* Vultej. *in Cons. Marb. 29. Vol. 1. n. 11.* Dn. Honfeld. *Med. theor. pract. p. 178.* Alii contra nos anno quinquages. quinto, alii sexagesimo, quo jam dextra dicimur computare annos, senescere existimant: vid. Paul. Zacch. *Quæst. med. Leg. lib. 1. tit. 1.*

*qu.*

*qu.9.* at videtur mihi ſententia honor. Dn. Parentis mei omnium veriſſima ſtatuentis, ſenectutem ab anno ſeptuageſimo completo initium capere: *Admon. part. ff.* 1. §. 55. ratio (1) eſt, quod veriſimile ſit Romanos ob ætatem à tutela quem excuſari poſſe ſtatuentes reſpexiſſe ad iſtam ætatem qua excuſandus eodem honore, qui Magiſtratui defertur, dignus habebatur, atqui hoc fiebat tum demum, cum ſenectutem eſſet adeptus, *l. 5. ff. de jur. imm.* excuſari autem poterat anno ſeptuageſimo completo §. 13. *J. de excuſ.* ut conſequenter ſenex haberi debeat, qui ſeptuagenario major eſt: (2) Quod *l. 5. all.* agens de ſenibus ſubnexa ſit legi præcedenti tertiæ de majoribus ſeptuaginta annis mentionem facienti, eoque ipſo ob oculos ponatur, illos pro ſenibus habendos, qui annum egreſſi ſunt ſeptuagiſimum: reſpicit enim una lex ad aliam, ſibique quaſi invicem cohærent: (3) Quod leges ob ſenectutem excuſationem præbeant *all. l. 5. l. 2. §. 7. ff. de Vacat.* ac continue agant de illis qui annum ſuperarunt ſeptuageſimum: vid. *l. 2. §. ult. ff. de Decur. l. 3. ff. de jur. imm. §. 13. J. de excuſ. tut. l. 10. C. de Decur. l. un. C. qui ætat. l. ult. C. qui ætat. vel prof. l. 3. §. 6. & 12. ff.*

 de

*de mun. & hon. l. 2. l. 15. §. 11. ff. de excus. tut.* (4) quod septuagenario major in specie *annosus* dicatur *l. 3. C. de Decurion.* quibus ita positis nolo tamen quis putet me arbitrium judicis hic in totum excludere: quamvis enim anno septuagesimo completo in senectutem delapsi dicamur, quamvis illi qui septuagenario sunt majores privilegiis gaudeant senibus concessis, potest tamen fieri, ut & ante annum septuagesimum aliquis propter imbecillitatem corporis, judice ita arbitrante, iisdem utatur: nescio numne in eadem sententia fuerint Scipio Africanus aliique viri nobiles apud A. Gellium, illos & ante annum septuagesimum barbam & genas rasitavisse narrantem his verbis: *In libris, quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus, scriptum esse animadvertimus, P. Scipioni Pauli F. postquam de Pœnis triumphaverat censorq; eidem diem dictum esse ad populum à Claudio Asello tribuno plebis, cui equum in censura ademerat: eumque cum esset reus, neque barbam desiisse radi neque non candida veste uti, neque fuisse cultu solito reorum. Sed cum in eo tempore Scipionem minorem quadraginta annorum fuisse constaret, quod de barba rasa ita scriptum esset mirabamur, comperimus autem*

tem

*tem ceteros quoque in iisdem temporibus nobiles viros barbam in ejusmodi ætate rasitavisse: idcircoque plerasque imagines veterum non admodum senum sed in medio ætatis ita factas videmus.* Noct. Attic. lib. 3. cap. 4.

*Thes. 39.*

Imperia, Regna, Principatus, atque Respublicas ex ordinationis divinæ recondito decreto provenisse, est constantissima ex tripode depromta veritas: Nemo Babylonicæ, Persicæ, Macedonicæ, ac Romanæ, Monarchiarum prima posuit fundamenta, nisi potentissimus ille totius mundi Monarcha: ille est, cujus nutu Reges constituuntur, & regna fundantur: ille est cujus arbitrio summa rerum Babylonicarum potitus est Nebucadnezar, Persicarum Cyrus, Macedoniarum Alexander, Romanarum Octavianus: ille est, cujus Vicariatum obtinent Dii terrestres, Reges atque Principes: Persæ siquidem per Humam, veteri si gratia est, illum quem volans umbra sua contigerit, aut ad Majestatis aliquod aut ad summæ opulentiæ fastigium credunt perventurum, quod divinum huic insit augurium, quod regna quoque divinitus constituantur: quis sodes si lynceo more haud gestiat retrospicere, tali destitutus funda-

to, ſibi unquam perſuaſum habebit, qui poſſit fieri, illos, quibus natalium nulla commendatio, nec altis inclytum titulis genus, ad ſumma nihilominus honoris, quid? Majeſtatis inquam cacumina evehi & elatos? de Agathocle aut Mario nihil ut verborum faciam, nihil ut dicam de temporibus interfecti Pertinacis: ut taceam Galerium Armentarium, Probum, Diocletianum, ut omittam Imperatorem noſtrum Juſtinianum, qui inſtar cuchinillæ vilis in America vermiculi, aſt pulcherrimum & ſummi pretii colorem purpureum commerciis Hiſpanorum communicantis, in tantum vili quamvis prognatus tugurio, aſſurrexit dignitatis apicem, ut merito nunc audiat, Imperator, Cæſar, Flavius, Alemannicus, Gothicus, &c. nequeo tamen ſilentio involvere, vobis id minimum placebit, imo in commoda veſtra peccarem domni Barbitonſores, ſi longo ſermone morer, quod Ludovicus Galliæ Rex ad Aurelienſes legatum miſerit, non Comitem, neque Principem, non Baronem, non perſonam aliquam illuſtrem, avorum aut præclaræ ſapientiæ fulgentem radiis, ſed notate, notate inquam, Barbitonſorem: ita ſedet in temone nonnunquam muſca: ô fortu-

 na

na viris invida fortibus, quam non æqua bonis præmia dividis! at qualis videtur tibi hæc opera vocis meæ? leonem interrogabat asinus: insignis respondit, sic, ut nisi nossem tuum animum & genus, similí fuissem in metu: caveant igitur sibi ex Rhetore Consules facti, semperque revocent in memoriam quales fuerint, quibus parentibus orti.

Willichis, Willichis nicht vergiß
Daß dein Vater ein Wagener ist:

ne alias vitæ discrimen experiantur æque, ac Legatus Barbitonsor, ab Aureliensibus pene occisus: Otto *de Jur. Publ. cap.* 14. Verum hic posset merito quæri, numne Barbitonsor Principis lateri hærens, eo ipso efficiatur nobilis? videtur id affirmandum, propterea quod Doctores indistincte tradant, omnes eos qui ad latus Principis hærent, ob id nobilitari: Brunnem. *ad l. un. C. de Præpos. labor.* Reyger, *thesaur.* voc. *nobilis. n.* 9. Jason. *in l.* 19. *C. de testam. n.* 1. quare hanc regulam ad Barbitonsores quoque extendit Salmuth. *ad Panciroll. p.* 1. *tit.* 44. *in fin.* eamque in Medicis, Cubiculariis, Secretariis, omnibusque aliis ad latus lectis admittendam esse statuit Besold. *oper. pol. de Jur. ordin. civ. Diss.* 2. *n.* 25. at dubito valde, num le-

ges, ex quibus Interpretes hunc canonem probare gestiunt, sensum habeant talem, tamque latum: sunt autem hæ *l. 1. C. de Præpos. labor. l. 1. C. de Domest. l. ult. C de. Excus. tut.*

*Th. 40.*

Quoniam testamenti factio actus est ex principiis juris naturæ descendens civilis & solennis, hinc requiritur ab Imperatore in *§. 3. J. de testam. ord.* ut peragatur *uno contextu*, id est, ut nullus actus alienus intermisceatur, ita explicante Ulpiano in *l. 21. §. ult. ff. qui test. fac. poss.* actus autem alienus est negotium quod cum testamento nullam habet communionem, quod præter necessitatem suscipitur, vel quod dependet à consensu duorum, & non à testatoris solius declaratione, hoc est, ut idem Ulpianus inquit, quod ad testamentum non pertinet: talis actus intervenire non debet, aut alioqui non valebit testamentum: tanta enim est testamentorum sinceritas: vid *§. 4. J. de test. ordin.* unde tum consequitur testamentum quoque vitiari, si testator inter testandum barbitonsorem ad se accersiverit, sibique antequam testamentum absolvat, barbam suam abradere jusserit, posteaque, eo scilicet intermixto, factoque,

que, ad teſtamenti completionem ſe iterum contulerit: neque obſtat, quod illa quæ tangunt corpus teſtatoris, ſuntque actus naturæ celebrari queant in tempore, quo teſtamentum conditur: *l. 28. C. de teſt.* id enim obtinet in illis tantum actibus ſine quibus ipſa ſanitas teſtatoris periclitetur, ſive, qui ſumme ſunt neceſſarii, necjuxta naturam omitti vel differri poſſunt, quales e. g. ſunt victus neceſſarii vel potionis oblatio, vel medicaminis datio vel impoſitio, ſuperflui ponderis ex neceſſario naturæ uſu hauſti depoſitio: de hiſce agit ſaltim textus, ad hoſce caſus etiam ob id reſtringendus, quod neceſſitas, quam pro fundamento habet, non patiatur legem: cum vero abraſio barbæ non ſit actus neceſſarius, neque ea relicta periclitetur ſanitas teſtatoris, nec poſſit dici ad teſtamentum pertinere, conſequens eſt, ut in teſtamento pro actu alieno haberi, nec in eo celebrari debeat, nec poſſit: nec moror, quod quidam contendant, permiſſum tamen eſſe in teſtamento inire contractus: ſcio enim id quidem dici, aſt non video probari: ut potius ſtatuendum ſit contrarium: ita ſane volunt leges & rationes: debet enim teſtamentum fieri *uno contextu all.* §. 3.

actus

actus ad testamentum non pertinens non debet intermisceri: *d. l. 21. §. ult*: verba *contraxerunt* & *gesserunt* non pertinent ad testamenta. *l.* 20. *de U. S.* testamentum debet esse voluntatis *nostræ* sententia. *l.* 1. *ff. qui test. fac. poss.* & ita porro: vid Fachin. 5. *controv.* 32. Vigl. *ad.* §. 3. *J. de testam.* Wissenb. *Disp.* 17. *n.* 11. parum prodest dissentientibus, quod assignatio liberti fieri possit in testamento *l.* 1. §. 3. *ff. de assign. lib.* utpote cum hæc similis sit donationi mortis causa, quæ in testamento recte peragitur: *l.* 11. *ff. de testam. inoff.* quoniam legatis est exæquata: v. hon. Dn. Parens in *Admon. part.* 6. §. 42. unde nec adversatur *l.* 26. *ff de pign. act.* loquitur enim de pignoris *constitutione*, quæ diversa est à pignoris contractu.

*Th.* 41.

Ad Logicam me delapsum video: neque enim tantum in sacris Pandectis, in Jure Civili, Historiis, Antiquitatibus, Ethica, Politica, Physica sed & in Logica locum sibi vindicat hæc nostra materia: quæro enim (1) num Barba sit qualitas an substantia? (2) utrum quantitas sit concreta sive continua num discreta, sive discontinua? Primum quod attinet, distinguendum est, aut enim barba considera-

tur

tur in ſe, ſeparatim, quatenus eſt barba, aut conjunctim in & cum homine, ſive reſpectu hominis: priori ſenſu erit ſubſtantia: poſteriori qualitas: ſi enim ſubſtantia eſt res per ſe (quibus verbis integra ſubſtantiæ formalitas effertur) ſubſiſtens, ſive, ut Philoſophi ajunt, quæ habet eſſentiam vel exiſtentiam, ſequitur & barbam hoc ſenſu dicendam eſſe ſubſtantiam, in ſe ſcilicet conſideratam, nam ſi reſpectus fiat ad hominem, quatenus hic vel barbatus eſt, vel imberbis, quin tum inducat qualitatem, nullatenus eſt dubitandum: cum nemo non ſciat, id *qualitatem* dici, à quo res denominatur talis: Unde Claubergius in *Log. Contr.* §. 39. *habitus eſt modus, quo veſtis, aut aliquid inſtar veſtis corpori junctum eſt: ita veſtitum, armatum, barbatum eſſe, dicuntur habitus, licet veſtis, arma & barba ſint ſubſtantiæ*: nec impedit, quod ad ſubſtantiam requiratur ut nulli rei creatæ inhæreat, neque ab alia dependeat, barba enim non ineſt homini, ſed adeſt homini, eſtque homo reſpectu barbæ non ſubjectum inhæſionis, uti quidem paries intuitu alboris, ſed eſt ſubjectum, juxta Logicos, denominationis, quemadmodum arbor nequit dici terræ ineſſe, ita nec magis ineſt barba homini, adeo ut barba

qua-

qua barba non ſit qualitas ſed ſubſtantia, habeatque, quod alteram quæſtionem concernit, quantitatem mathematice diſcretam, at phyſice continuam: per quantitatem intelligimus cum Ariſtotele accidens, quod per ſe partem habet extra partem: cujus partes ſi communi aliquo atque indiviſibili termino in omnibus ſe immediate contingunt punctis, dicitur quantitas mathematice continua, qualis non eſt barba, ſi ſaltem in plerisque, dicitur phyſice continua, & hanc habet barba, reſpectu ſcilicet pilorum barbam conſtituentium *conf. l. 31. ff. de S. P. R.* unde tum & diſcreta quantitas recte appellatur, vid. Schweling. *Log. Vulg.* §. 120. *& ſeq.* quam alii diſcontinuam vocant, licet inter diſcretum & diſcontinuum nonnunquam ſit differentia, uti patet inter alia ex diviſione ſervitutis in continuam & diſcontinuam.

*Th. 42.*

Carſania fuitne barbata an imberbis? Carſaniam dico, improbiſſimam illam atque lingulacam feminam, cujus ſit mentio in *l. 1. §. 5. ff. de poſtul.* quam alii Calpurniam, alii Calphurniam, alii Affraniam, alii Afraniam, alii Cajam Arſaniam nominant, unde prænomine hoc *Caja* per ſim-

ſimplicem literam C. prout ſæpius fieri ſolet, expreſſo, hacque cum ſequenti nomine *Arſania* conjuncta, à nonnullis appellata eſt *Carſania*, id eſt, *Caja Arſania*: quemadmodum *Ultrajectenſis Provincia nomen ſortita eſt à deſignatione quadam exercitus Romani verbis abbreviatis hiſce: V. TRIC. LEG. STAT. h.e. QUINTÆ TRICESIMÆ LEGIONIS STATIO. quod imperiti linguæ latinæ, conjunctim disjungenda legentes, pronuntiabant UTRICSTAT. mediæ enim exeſæ erant & negligebantur:* Eberh. Schulteſ. *Syn. Geog. lib.* 2. *c.* 1 *p. m.* 203. & quamvis in Pandectis etiam Florentinis legatur *Carſania*, jubet tamen fides hiſtorica, ut pro *Carſania* legendum ſit *Arſania*, ſive *Afrania*. Val. Max. *lib.* 8. *c.* 3. §. 2. at noſtrum non eſt cum maxime, ut in id penitius inquiramus, cum ſufficiat oſtendiſſe, illam ne quidem frit aliquod habuiſſe barbæ: ita profecto ſtatuendum, ſi illud verum eſt, quod ſermone quotidiano circumfertur, fœminas ob hanc cauſam omnes eſſe imberbes, quod propter innatam loquacitatem, dicacitatem, garrulitatem, & continuum menti motum, nulli queant in mente creſcere capilli: verum ſicuti hæc ratio joci duntaxat gratia à quibusdam objicitur,

cum,

*de mun. & hon. l. 2. l. 15. §. 11. ff. de excus. tut.* (4) quod septuagenario major in specie *annosus* dicatur *l. 3. C. de Decurion.* quibus ita positis nolo tamen quis putet me arbitrium judicis hic in totum excludere: quamvis enim anno septuagesimo completo in senectutem delapsi dicamur, quamvis illi qui septuagenario sunt majores privilegiis gaudeant senibus concessis, potest tamen fieri, ut & ante annum septuagesimum aliquis propter imbecillitatem corporis, judice ita arbitrante, iisdem utatur: nescio numne in eadem sententia fuerint Scipio Africanus aliique viri nobiles apud A. Gellium, illos & ante annum septuagesimum barbam & genas rasitavisse narrantem his verbis: *In libris, quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus, scriptum esse animadvertimus P. Scipioni Pauli F. postquam de Pœnis triumphaverat censorq; eidem diem dictum esse ad populum à Claudio Asello tribuno plebis, cui equum in censura ademerat: eumque cum esset reus, neque barbam desiisse radi neque non candida veste uti, neque fuisse cultu solito reorum. Sed cum in eo tempore Scipionem minorem quadraginta annorum fuisse constaret, quod de barba rasa ita scriptum esset mirabamur, comperimus autem*

*tem ceteros quoque in iisdem temporibus nobiles viros barbam in ejusmodi ætate rasitavisse: idcircoque pleras que imagines veterum non admodum senum sed in medio ætatis ita factas videmus.* Noct. Attic. lib. 3. cap. 4.

*Thes. 39.*

Imperia, Regna, Principatus, atque Respublicas ex ordinationis divinæ recondito decreto provenisse, est constantissima ex tripode depromta veritas: Nemo Babylonicæ, Persicæ, Macedonicæ, ac Romanæ, Monarchiarum prima posuit fundamenta, nisi potentissimus ille totius mundi Monarcha: ille est, cujus nutu Reges constituuntur, & regna fundantur: ille est cujus arbitrio summa rerum Babylonicarum potitus est Nebucadnezar, Persicarum Cyrus, Macedoniarum Alexander, Romanarum Octavianus: ille est, cujus Vicariatum obtinent Dii terrestres, Reges atque Principes: Persæ siquidem per Humam, veteri si gratia est, illum quem volans umbra sua contigerit, aut ad Majestatis aliquod aut ad summæ opulentiæ fastigium credunt perventurum, quod divinum huic insit augurium, quod regna quoque divinitus constituantur: quis sodes si lynceo more haud gestiat retrospicere, tali destitutus funda-

to, ſibi unquam perſuaſum habebit, qui poſſit fieri, illos, quibus natalium nulla commendatio, nec altis inclytum titulis genus, ad ſumma nihilominus honoris, quid? Majeſtatis inquam cacumina evehi & elatos? de Agathocle aut Mario nihil ut verborum faciam, nihil ut dicam de temporibus interfecti Pertinacis: ut taceam Galerium Armentarium, Probum, Diocletianum, ut omittam Imperatorem noſtrum Juſtinianum, qui inſtar cuchinillæ vilis in America vermiculi, aſt pulcherrimum & ſummi pretii colorem purpureum commerciis Hiſpanorum communicantis, in tantum vili quamvis prognatus tugurio, aſſurrexit dignitatis apicem, ut merito nunc audiat, Imperator, Cæſar, Flavius, Alemannicus, Gothicus, &c nequeo tamen ſilentio involvere, vobis id minimum placebit, imo in commoda veſtra peccarem domni Barbitonſores, ſi longo ſermone morer, quod Ludovicus Galliæ Rex ad Aurelienſes legatum miſerit, non Comitem, neque Principem, non Baronem, non perſonam aliquam illuſtrem, avorum aut præclaræ ſapientiæ fulgentem radiis, ſed notate, notate inquam, Barbitonſorem: ita ſedet in temone nonnunquam muſca: ô fortu-

na viris invida fortibus, quam non æqua bonis præmia dividis! at qualis videtur tibi hæc opera vocis meæ? leonem interrogabat asinus: insignis respondit, sic, ut nisi nossem tuum animum & genus, simili fuissem in metu: caveant igitur sibi ex Rhetore Consules facti, semperque revocent in memoriam quales fuerint, quibus parentibus orti,

Willichis, Willichis nicht vergiß
Daß dein Vater ein Wagener ist:

ne alias vitæ discrimen experiantur æque, ac Legatus Barbitonsor, ab Aureliensibus pene occisus: Otto *de Jur. Publ. cap.* 14. Verum hic posset merito quæri, numne Barbitonsor Principis lateri hærens, eo ipso efficiatur nobilis? videtur id affirmandum, propterea quod Doctores indistincte tradant, omnes eos qui ad latus Principis hærent, ob id nobilitari: Brunnem. *ad l. un. C. de Præpos. labor.* Reyger. *thesaur.* voc. *nobilis. n.* 9. Jason. *in. l.* 19. *C. de testam. n.* 1. quare hanc regulam ad Barbitonsores quoque extendit Salmuth. *ad Panciroll. p.* 1. *tit.* 44. *in fin.* eamque in Medicis, Cubiculariis, Secretariis, omnibusque aliis ad latus lectis admittendam esse statuit Besold. *oper. pol. de Jur. ordin. civ. Diss.* 2. *n.* 25. at dubito valde, num le-

ges, ex quibus Interpretes hunc canonem probare gestiunt, sensum habeant talem, tamque latum: sunt autem hæ *l.* 1. *C. de Præpos. labor. l.* 1. *C. de Domest. l. ult. C de: Excus. tut.*

*Th.* 40.

Quoniam testamenti factio actus est ex principiis juris naturæ descendens civilis & solennis, hinc requiritur ab Imperatore in §. 3. *J. de testam. ord.* ut peragatur *uno contextu*, id est, ut nullus actus alienus iutermisceatur, ita explicante Ulpiano in *l.* 21. §. *ult. ff. qui test. fac. poss.* actus autem alienus est negotium quod cum testamento nullam habet communionem, quod præter necessitatem suscipitur, vel quod dependet à consensu duorum, & non à testatoris solius declaratione, hoc est, ut idem Ulpianus inquit, quod ad testamentum non pertinet: talis actus intervenire non debet, aut alioqui non valebit testamentum: tanta enim est testamentorum sinceritas: vid §. 4. *J. de test. ordin.* unde tum consequitur testamentum quoque vitiari, si testator inter testandum barbitonsorem ad se accersiverit, sibique antequam testamentum absolvat, barbam suam abradere jusserit, posteaque, eo scilicet intermixto, factoque,

que, ad teſtamenti completionem ſe iterum contulerit: neque obſtat, quod illa quæ tangunt corpus teſtatoris, ſuntque actus naturæ celebrari queant in tempore, quo teſtamentum conditur: *l. 28. C. de teſt.* id enim obtinet in illis tantum actibus ſine quibus ipſa ſanitas teſtatoris periclitetur, ſive, qui ſumme ſunt neceſſarii, nec juxta naturam omitti vel differri poſſunt, quales e. g. ſunt victus neceſſarii vel potionis oblatio, vel medicaminis datio vel impoſitio, ſuperflui ponderis ex neceſſario naturæ uſu hauſti depoſitio: de hiſce agit ſaltim textus, ad hoſce caſus etiam ob id reſtringendus, quod neceſſitas, quam pro fundamento habet, non patiatur legem: cum vero abraſio barbæ non ſit actus neceſſarius, neque ea relicta periclitetur ſanitas teſtatoris, nec poſſit dici ad teſtamentum pertinere, conſequens eſt, ut in teſtamento pro actu alieno haberi, nec in eo celebrari debeat, nec poſſit: nec moror, quod quidam contendant, permiſſum tamen eſſe in teſtamento inire contractus: ſcio enim id quidem dici, aſt non video probari: ut potius ſtatuendum ſit contrarium: ita ſane volunt leges & rationes: debet enim teſtamentum fieri *uno contextu all.* §. 3.

actus ad testamentum non pertinens non debet intermisceri: *d. l. 21. §. ult*: verba *contraxerunt* & *gesserunt* non pertinent ad testamenta. *l.* 20. *de U. S.* testamentum debet esse voluntatis *nostræ* sententia. *l.* 1. *ff. qui test. fac. poss.* & ita porro: vid Fachin. 5. *controv.* 32. Vigl. *ad.* §. 3. *J. de testam.* Wissenb. *Disp.* 17. *n.* 11. parum prodest dissentientibus, quod assignatio liberti fieri possit in testamento *l.* 1. §. 3. *ff. de assign. lib.* utpote cum hæc similis sit donationi mortis causa, quæ in testamento recte peragitur: *l.* 11. *ff. de testam. inoff.* quoniam legatis est exæquata: v. hon. Dn. Parens in *Admon. part.* 6. §. 42. unde nec adversatur *l.* 26. *ff de pign. act.* loquitur enim de pignoris *constitutione*, quæ diversa est à pignoris contractu.

*Th.* 41.

Ad Logicam me delapsum video: neque enim tantum in sacris Pandectis, in Jure Civili, Historiis, Antiquitatibus, Ethica, Politica, Physica sed & in Logica locum sibi vindicat hæc nostra materia: quæro enim (1) num Barba sit qualitas an substantia? (2) utrum quantitas sit concreta sive continua num discreta, sive discontinua? Primum quod attinet, distinguendum est, aut enim barba considera-

tur

tur in se, separatim, quatenus est barba, aut conjunctim in & cum homine, sive respectu hominis: priori sensu erit substantia: posteriori qualitas: si enim substantia est res per se (quibus verbis integra substantiæ formalitas effertur) subsistens, sive, ut Philosophi ajunt, quæ habet essentiam vel existentiam, sequitur & barbam hoc sensu dicendam esse substantiam, in se scilicet consideratam, nam si respectus fiat ad hominem, quatenus hic vel barbatus est, vel imberbis, quin tum inducat qualitatem, nullatenus est dubitandum: cum nemo non sciat, id *qualitatem* dici, à quo res denominatur talis: Unde Claubergius in *Log. Contr.* §. 39. *habitus est modus, quo vestis, aut aliquid instar vestis corpori junctum est: ita vestitum, armatum, barbatum esse, dicuntur habitus, licet vestis, arma & barba sint substantiæ:* nec impedit, quod ad substantiam requiratur ut nulli rei creatæ inhæreat, neque ab alia dependeat, barba enim non inest homini, sed adest homini, estque homo respectu barbæ non subjectum inhæsionis, uti quidem paries intuitu alboris, sed est subjectum, juxta Logicos, denominationis, quemadmodum arbor nequit dici terræ inesse, ita nec magis inest barba homini, adeo ut barba qua-

ſimplicem literam C. prout ſæpius fieri ſolet, expreſſo, hacque cum ſequenti nomine *Arſania* conjuncta, à nonnullis appellata eſt *Carſania*, id eſt, *Caja Arſania*: quemadmodum *Ultrajectenſis Provincia nomen ſortita eſt à deſignatione quadam exercitus Romani verbis abbreviatis hiſce: V. TRIC. LEG. STAT. h.e. QUINTÆ TRICESIMÆ LEGIONIS STATIO. quod imperiti linguæ latinæ, conjunctim disjungenda legentes, pronuntiabant UTRICSTAT. mediæ enim exeſæ erant & negligebantur:* Eberh. Schulteſ. *Syn. Geog. lib.* 2. *c.* 1 *p. m.* 203. & quamvis in Pandectis etiam Florentinis legatur *Carſania*, jubet tamen fides hiſtorica, ut pro *Carſania* legendum ſit *Arſania*, ſive *Afrania*. Val. Max. *lib.* 8. *c.* 3. §. 2. at noſtrum non eſt cum maxime, ut in id penitius inquiramus, cum ſufficiat oſtendiſſe, illam ne quidem frit aliquod habuiſſe barbæ: ita profecto ſtatuendum, ſi illud verum eſt, quod ſermone quotidiano circumfertur, fœminas ob hanc cauſam omnes eſſe imberbes, quod propter innatam loquacitatem, dicacitatem, garrulitatem, & continuum menti motum, nulli queant in mente creſcere capilli: verum ſicuti hæc ratio joci duntaxat gratia à quibusdam objicitur,

cum,

cum si vera esset, & nescio quot inter viros imberbes forent latratores, ita videtur si physice argumentari gestimus, potius statuendum, Carsaniam istam propter suam loquentiam non imberbem fuisse, sed barbam habuisse promissam ac magnificam, cum calor internus, qui continuo menti motu excitatur, & quo pori dilatantur, principalis causa sit generationis pilorum, non aliter atque viros ob id ac propter fluentiam humiditatis in pectore, mulieres vero circ. alvũ barbescere videmus: at menti etsi continuo, haud sufficientem producente calorem motu, nec potuit Carsania ob id solum barbata esse, quare, rejecta priori ratione ad quæstionem, *cur mulieres non barbescant*? cum Aristotele in Problematibus respondendum: *quia in eis est defectus caliditatis, ut etiam in aliquibus viris effœminatis, qui sunt imberbes, propter eandem causam, quia habent complexionem muliebrem.*

*Th. 43.*

*Præcipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre: cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat: c. de Judæis. dist. 45.* quamvis enim majestati & jus circa sacra competat, tali tamen potestate non gaudet, ut civium conscien-

tias

tias vi queat ad fidem Chriſtianam compellere, fides ſuaderi quidem poteſt, ſed non imperari, injunxit Servator noſter Apoſtolis ſuis, ut doctrinam fidei propagarent in lenitate Spiritus, *non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis rurſum ad metum, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis, per quem clamamus; Abba; id eſt, Pater*. Paul. *ad Roman. cap.* 8. *v.* 15. H. Grot. *de Jur. B. & P. lib.* 2. *c.* 47. Schweling. *Polit. n.* 46. Ameſ. *de Caſ. Conſc. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 14. ſecus tamen ſe res habet cum cauſis externis, fidem non concernentibus, politicis, civilibus, indifferentibus, ad civium vitam, mores, ſtatum, & bona ſpectantibus: quilibet quidem rerum ſuarum liberrimus dicitur arbiter, *l.* 21. *C. Mandat.* eſtque juſtum ſua cuique committere *l.* 8. *C. de Judæis.* quin tamen Princeps vigore poteſtatis territorialis ac eminentis dominii ſubditorum bona & perſonas certis terminis cohibere, illisque certam vivendi rationem, victus ac amictus modū præſcribere poſſit, nullus, qui nec bliteus nec luteus eſt, dubitat: unde & viri, quos juſſerit eſſe barbatos, barbam alere obligati ſunt, ſi imberbes, abradere: quemadmodum Magdeburgenſes ad Mandatum Archi-Epiſcopi Sigismundi feciſſe jam ſupra *th.* 4.

vidimus: bene tamen agit Princeps, si ipsemet, licet civilibus legibus solutus, barbam, juxta legem populo præscriptam, vel submittat, vel deponat: nam Regis ad exemplum totus componitur orbis: adeo ut & multi id sponte sequantur, maxime apud Æthiopes, turpe existimantes, Regem esse imberbem, & domesticos barbatos: tantus enim horum in Regem est amor, ut non modo barbam sibi certatim evellant, Rege ea privato, verum etiam omnes eas corporis partes, quibus Rex caret, sibi præcidant: Albert. Bolognet. *de Leg. Jur. & æq. c. 1. n.* 3. idem faciunt ministri Regum in Japonia, & quidem cum pruritu adeo vehementi, ut, quo nulla in parte iis feliciores appareant, & morti sese subjiciant ultroneæ defuncto rege, seque id facturos ab initio spondeant, uti patet ex sequenti formula apud Caron. *Desc. Japon. p. 115. Gebiedende Heer, uvve getrouvve onderdanen zyn veel, en vvat hebbe ick doch verdient, dese eere te genieten, dit lichaem, dat doch mynes Heeren is, schenck ick u vvederom, en belove, dat het niet langer leven sal, als het uvve*: vid. Becman. *not. dign. lib. 6. c. 2. in fin.*

Th.

*Th.* 44.

Justinianum certas quasdam collegisse causas, propter quas liberi à parentibus suis exheredari possunt, neque ullam aliam præter illas admittendam esse, constat clare ex ipso, in quo causæ illæ commemoratæ sunt, textu, scilicet ex *Nov.* 115. *C.* 3. & licet non omnes casus legibus possint comprehendi, licet etiam idem ibi jus statui debeat, ubi adest eadem ratio, adeoque justum videatur, ut ob causas æque graves vel graviores exheredandi potestatem parentes habeant: Homborg. *lib.* 2. *Præl. Acad. tit.* 13. §. 4. perdunt tamen rationes istæ suum officium in casu quo de contraria Legislatoris voluntate expresse constat: arg. *l.* 137. §. 2. *de V. O.* talem autem extare in allegata Novella est adeo certũ, quam quod certissimum, dicit enim expressis verbis: *ut præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur:* & tum: *causas autem justas ingratitudinis has esse decernimus:* hon. Dn. Parens *de Jur. Fil. Membr.* 5. & *Lib.* 2. *aph.* 106. Philipp. *us. Pract. lib.* 2, *tit.* 13. *ecl.* 57. quæro igitur, num filius, qui patri suo expilavit barbam, ob id etiam exheredari possit? altum quidem

 est

eſt de intervulſa barba in allegata Novella ſilentium: haud feret tamen impune, quiſquis patrem ſuum ita violaverit: ſi enim qui parentibus manus intulit, aut gravem & inhoneſtam injuriam ingeſſit, recte exheredari poteſt, ut ſtatuitur in *all. Nov. c.3. §. 1. & 2.* ergo poteſt multo magis ille ab hereditate excludi, qui patri ſuo barbam expilare auſus fuit, utpote cum per iſtam violationem committat duplicem exheredationis cauſam, tum quod manus inferat ſuo patri, tum quod injuriam ingerat gravem & inhoneſtam: unde nec dubitandum quin vaſallus, ſi domini barbam invaſerit, feloloniam quoque committat, conſequenter & feudo recte privari queat: ſi enim propter actionem famoſam contra dominum inſtitutam, ſi propter verba injurioſa in dominum evomita, imo ſi propter ſolam admenationem feloniæ reus evadit, ergo multo magis, ſi domini barbæ violentas manus intulerit: ergo erit & idem ſtatuendum de liberto patroni ſui barbam lædente: in tantum, ut ſi à tali crimine ſe non temperaverit, patronus eum tanquam ingratum per ingrati actionem de qua in *l. 3. C. de. lib. & eor. lib.* in ſervitutem habeat revocandi poteſta-

ſtatem. v. quæ dixi de *Jur. Sanct. Cap.* 1. *th.* 5. §. 2.

*Th.* 45.

Eremitæ cuidam, *qualem cultum exigeret Deus*, interroganti, Oraculum reſpondiſſe fertur:

*Da mediam lunam, ſolem, ſimul & canis iram.*

per *mediam lunam* intelligens literam C. per *ſolem* O. per *canis iram* R. quam canes incitati hirriendo videntur exprimere, juxta illud Perſii: *ſonat heic de nare canina litera:* quibus literis conjuctis oraculum indicare voluit, ad cultum divinum COR hominis, quo Deum veneretur toto, requiri: ſequenti id notante ſchemate:

| | | |
|---|---|---|
| Da | mediam lunam | C |
| | Solem | O |
| | Canis iram | R |

quod alii alio, at idem ſignificante carmine, oſtendunt, dicentes:

*Dimidium ſphæræ, ſphæram, cum Principe Romæ,*
*Exigit à nobis Deus Omnipotentis Olympi.*

& reſpicientes

| | | | |
|---|---|---|---|
| per | dimidium ſphæræ | ad lit. | C |
| | ſphæram | | O |
| | Principem Romæ | | R |

ſolo corde vero ad ſolidam non ſufficiente religionem, veriſimilius apparet per *mediam*

*diam lunam, ſolem*, & *canis iram* non reſpici ſaltem ad verbum iſtud, *Cor*, ſed eo ipſo oſtendi verum cultum divinum conſiſtere in *media luna* i. e. in *corde*, in *ſole*, i. e. *ore*, & *canis ira*, i. e. *re*: neque enim ſufficit ſtupendam Dei majeſtatem ſolo corde venerari, niſi verbis ſimul & re ipſa animi noſtri inclinationem, internumque pietatis calorem palam oſtendamus, atque adeo omnes noſtras cogitationes & omnes noſtros actus in Dei Optimi Maximi honorem dirigamus, atque ejusmodi in operibus noſtris, præcipue in precibus ad Deum fundendis & ſigna, & motus, & geſtus edamus, ex quibus nihil aliud colligi poteſt, niſi contriti animi devotio ſincera, ſubmiſſa, vereq; religioſa: quisnam enim ille eſſet cultus, quænam reverentia, quæ religio, ſi quis inter adorandum ſibilare, ridere, ſaltare, mox ad negotia profana, ad curas domeſticas, mox iterum ad Deum reverti vellet? ſi quis in Eccleſiis & templis confabulari, funeſtis linguæ aculeis proximum ſuum infeſte conſulnerare, aut chartis luſoriis tempus iſtud Deo dicatum conterere anhelaret? religio foret ad ſcholam Quaſiſticam ablegenda, quemadmodum in ſua Wurmatia jocoſe (at ridendo dicere

cere verum quid vetat) ostendit Auctor anonymus: posses tales quasi devotos remittere ad inscriptionem, quæ Lubecæ in valvis der Küster-Capelle (vulgo Pluder-Capelle) facta est in tres ibi appictas personas, & tres diabolos hisce verbis:

*Lüg, Düvel, Lüg*
*Hieran sollen all de jenige marcken*
*De all tydt gahn pludern in de Karcken.*

vid. BERCKEM. *Cur. Antiq. p. 1. pag. 287.* Sane si nos homines Regum Principumque anabathra salutaturi in eo toti sumus, quo debita cum reverentia nos geramus satis submisse & devote, quanto magis id decet nos facere, ubi res nobis est cum eo, qui, ut Apuleji verba mea faciam, est *magnorum potior, & majorum summus, & summorum maximus & maximorum regnator Deus:* optime igitur refert Amesius in libro *de Casib. Consc. 4. c. 18.* ad conscientiæ quæstiones an in oratione sit aliqua ratio gestus corporis habenda? tutissimus ibit submissus Dei cultor, si cum Davide dicat: *venite, incurvemus nos & procumbamus, flectamus genua coram Jehova, qui fecit nos Ps. 95. v. 6.* pone rationem hominis sibi relictam ejus necessitatem demonstrare haud posse vid.

Dn. Thomaſ. *Inſtit. Jur. Div. lib. 2. c. 1.* officium tamen erit orantis, quem vel ipſa natura ad geſtus, etiam inſcium, quandoque movet, ut ſemper obſervet illud Pauli 1. *Cor. 6. v. 20. Glorificate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro.* Ipſo humani generis Redemptore Domino noſtro Jeſu Chriſto Patrem ſuum cœleſtem haud aliter adorante, tum elevatis oculis, tum flexo corpore, tum incurvato poplite, tum erectis manibus: hinc Hieronymus Vida Cremonenſis Poëta *lib. 2. Chriſtin.*

*Ergo iterum atq; iterum Genitorem affatus & ambas*
*Ad cœlum tendens palmas hac voce rogabat.*

imo ipſum verbum *adorare* nihil notat aliud, niſi certum aliquem geſtum in invocationibus adhibendum: ſicuti enim nos hodie per alternas digitorum viciſſitudines Deum obteſtari ſolemus, ita erat olim in uſu ut in adorando dextram admoverent ori, priore digito in erectum pollicem flexo: vid. Job. *31. v. 27. oſculatum eſt os meum, & manus mea:* hinc dictum *adorare*, quaſi ad ora movere: ita ſane Lipſius *elect. 2. c. 26.* Joann. à Wower. *ad Minuc. pag. 3.* Comment. *ad 3. Æneid. v. 437.* ſed refutati à Deſider. Herald. *ad Minuc. pag. 5.* Math. Brouër de

Nie-

Niedeck *in Diff. de adorat. popul. cap.* 1. *in pr.* hinc Græcum προσκυνεῖν dicitur compositum ex voce κύων, canis, quia adorantes se canum instar ad pedes prosternebant, vel ex verbo κύειν, osculari, quia terram sæpe mento, sæpe labris contingebant: Dn. Outhoff. *in Comment. ad libr. Ruth. p.* 2. *v.* 8-16. *p.* 379. at hisce obsoletis recepti sunt hodie inter Christianos illi solum gestus, qui cum profunda animi demissione, ac cum reverentia Divinæ Majestati debita convenire putantur, quales sunt e. g. capitis detectio, genuflexio, corporis incurvatio, aut erectio, sessio enim per se non est gestus orandi: Ames. *d. c. n.* 6. vid. Gothofred. *ad l.* 15. *§.* 7. *ff. de injur.* de Genuflexione merentur legi verba Basilii Magni *cap.* 27. *de Spir. sanct.* dicentis: *Cum genua flectimus: & rursus corpore erigimus, ipsa re monstramus, nos peccatis lapsos esse, & Creatoris misericordia rursus in cœlum evocari:* hinc Paulus *ad. Ephes.* 3. *v.* 14. *hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Plin *lib.* 11. *c.* 45. *hominis genibus & quædam religio inest:* Possem hic variorum Gentium ritus in medium proferre, possem singulares diversosque ab iis in precibus adhibitos illustrare gestus, sed quia

id jam abunde præſtiterunt Hadrianus Junius notante Dn. Outhoffio *all. loc.* Math. Brouerus à Niedeck, aliique, hinc erit conſultius huic negotio ſuperſedere, quam multa de charta in papyrum mittere: illud tamen à multis quidem prætermiſſum, at ſcopo noſtro inſerviens, ſilentio involvere nequeo, quod ſcilicet olim in uſu fuerit, ut geſtus ergo inter adorandum continue palparent barbam, eamque aliquando per alternos digitorum mæandros demiſſam haberent: conſtat id inter alia clare ex effigie Imperatoris Heraclii in magno nummo apud Oudaen *de Potent. Roman. pag.* 508. neque difficile eſt colligere, quare id fecerint, cogitando, barbam ſemper fuiſſe ſymbolum & conſtantiæ & reverentiæ æque Judæis ac Græcis & Romanis: vid. Bonifac. *Ludicr. Hiſt. lib.* 12. *cap.* 21. veriſimile ut proinde ſit eos in ſignum profundæ venerationis erga Deum & animi ſinceritatis eam in adorationibus tetigiſſe: unde Medea ad Ægeum apud Eurip. *obſecro te per hanc barbam, genuaque, miſerare infelicem, miſerare ejectam ac deſertam.* Turcas eundem adhuc morem ſervare teſtatur Cornelis de Bruyn *in Itiner. pag.* 99. hiſce verbis *Wanneer de Türcken alle hunne*

*ne*

*ne rekiets, of aardküssingen gedaan hebben, eindigen zy hun gebeden, die nooit veel langer als een half uur duuren, met zich by den baard te vatten.*

*Th.* 46.

Sæpius ego in collegiis, quæ ad Antiquitates Romanas, & mundiales historicos nonnunquam apparui, filiis meis (ita Studiosos institutioni meæ concreditos apello, juxta *l.* 1. *C. de excus. artif.*) ad unguem demonstravi, fabulas istas, quæ de Diis Deabusque Gentilium memoriæ proditæ sunt, sensum sæpe habere mysticum, sæpe politicum, sæpe physicum, neque Romanorum majores adeo stolidos fuisse, adeo plumbeos ac crassos, ut ea omnia quæ sub Deorum nomine passim tradiderunt, pro Diis habuissent: qui enim potuissent, cui vel parum aceti in pectore est, sibi quisquam tales tamque absurdas, tam irrationabiles, Deorum naturæ plane & prorsus contrarias formare ideas, Deos dari strabones, silos, flaccos frontones, capitones, zopyros, hipponaces, ipsumque Deorum Deum atque omnium primum nec Dei nec hominis ordinatam speciem habere, sed monstrum esse ingens, horrendum, informe: Janum puto: Janum, bifrontem illum atque quadri-

drifrontem Deum: cujus vel solius contemplatione mentis nostræ aciem abducere cogimur à consuetudine oculorum: præstiterunt id hactenus multi, optimis argumentis & rationibus demonstrantes, quidnam per Janum modo bifrontem, modo quadrifrontem intelligi debeat: restat tamen aliquod adhuc addendum: nimirum, ut inquiramus, quare Jani bifrontis altera facies barbata existat, altera vero imberbis, altera pilis horrida, altera plane glabra: ita enim referunt eum antiqui lapides, marmora, nummi, & quot quot supersunt monumenta: sunt nonnulli, qui in Janobifronte Noachum credunt adumbratum, quia & ille instar Jani bifrons exstitit, eo quod aspexerit utrumque mundum, tam ante quam post diluvium: Jacob. Ouzel. *ad Minuc. Fel. Octav. pag.* 111. unde Bapt. Mantuan. in Pœn.

*qua de gente vel unde*
*Venerit, hoc nostro nondum cognoscitur ævo,*
*Propterea super hic aliquid memorabile fandum,*
*Janus hic, ut perhibent, clara de stirpe Gigantum*
*Maximus ille fuit Noë, qui secula Pyrrhæ*
*Deucalioneos fluctus præcessit, & undas*
*Ogygias.*

Verum non arridet hæc sententia Gurtlero *in libr. 2. de Orig. Mund. cap.* 18. §. 11. nec placet illa mihi: quamvis enim lubens

bens concedam, Romanos ſacræ quoque hiſtoriæ ſcientiam quandam habuiſſe, non video tamen, qui aliqua poſſit affinitas cum fundamento oſtendi Noëmum inter & Janum: eſtque nimis longe petitum ab utroque tempore argumentum, idem enim & conjugi ejus, filiis quoque & nuribus contigit; imo ſi Noachum deſignat Janus, cur igitur pingitur partim barbatus, partim imberbis? cur aliquando quadrifrons? quomodo conveniunt hæc cum Noëmo? quænam ſimilitudo? vicinitas? putaresne ſerio per faciem barbatam reſpici ad mundum priorem, per imberbem ad poſteriorem eumque novum, quaſi noviter creatum, & inſtar infantis recenter nati glabrum & purum: at nihil gerit hæc hirundo in ore: neque majoris eſt momenti illorum conjectura, qui Janum putant ſymbolum eſſe Japheti Nohæ filii, prout ita inter alios ſtatuit Joannes Goropius Becanus in *lib. 4. Orig. Ant.* vid. Roſin. antiq. *Rom. lib. 2. cap 3.* nihil enim de Japheto conſtat memoriæ proditum, quod ſpecialem aliquam cum Jano convenientiam habet: novi quidem Japheto in diviſione orbis obveniſſe Europam & magnam partem Aſiæ, Sulpic. Sever. *lib. 1. Sacr. hiſt. cap. 6. & ibi Comment.* Rupert. *ad. Beſold. ſynopſ. cap. 1.*

*cap.* 1. at quis Mathematicus depinget in pulvere harum terrarum notas inesse in Jano barbato & imberbi? non video: illud potius speciem habet, si quis dixerit, per Janum bifrontem respici ad antiquissimum Italiæ Regem genere Græcum ex Perrhæbia in Italiam profectum, & *Jonem* i.e. *Jovanem* dictũ. Horn. *ad Sulp. pag.* 20. eumque barbatum & imberbem, eo quod Italos ferarum instar barbatos, i. e. rudes, incultos, & agrestes, ad politum vitæ genus; cultus bonosque mores reduxerit: Pomey *Panth. Myth. pag.* 128. Temple *Staat. Tract. part.* 2. *pag.* 417. *& seqq.* vel quod Saturnum à Jove pulsum & solio exturbatum in societatem regni receperit: Virgil. 8. *Æneid.* 357. ita ut tum facies imberbis notet ipsum regem Janum, barbata vero Saturnum, utpote quem barbigerum omnia referunt simulacra. Oudaen. *de Potent. Rom. pag.* 243. Virgil. 7. *Æneid.* v. 180. Sed nec placet hæc illis conjectura, qui Janum bifrontem ad Romulum referunt, atque Remum: aut ad Romulum & Titum Tatium: bellissime: modo in his aliquid posset ostendi, ob quod altera facies barbata apparet, altera imberbis: quare nec priori subscribere possum opinioni, est enim

enim & illa nimis conjectatoria, generalis, impropria, incerta & liberalis nec fundamentum habens nec rationem: omnibus hisce igitur semotis statuendum puto, Janum barbatum & imberbem simulacrum esse Solis atque Lunæ, totiusque, quem Deum credidere, Mundi: nam quemadmodum olim Saxones Solem coluerunt sub statua alicujus Crodonis, ita idem fecerunt Romani non solum in Jove, Apolline, utroque barbato & imberbi, Saturno, aliisque statuis, verum etiam speciatim in nostro Jano: qui ob id peculiari cognomento *Pater* dictus, & primus omnium Deorum habitus est: hinc Septimius antiquus Poëta:

*Jane pater, Jane tuens, dive, biceps, biformis,*
*O cate rerum Sator, ô principium Deorum,*
*Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,*
*Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.*

audit Jupiter quidem *Deorum Pater atque hominum Rex*: æqualis tamen ei non modo Janus, verum sæpe etiam prior eo, inque sacrificiis ante eum invocatus, ut dicendum, *à Jano principium:* Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib. 4. c. 17.* de quo inter alios Martialis *lib. 8. epigr. 8.*

*Principium des Jane, licet velocibus annis*
*Et revoces vultu secula longa tibi*
*Te primum pia thura rogent, te vota salutent,*
*Purpura te felix, te colat omnis honos*

Ci-

Cicero de *Nat. Deor. lib. 2. c. 67. Cumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt:* debebatur id Naturæ seu Tempori, hoc enim referebat, & hinc biceps, cum tempus veteris anni sit finis, & novi principium, labitur id de uno in alterum annum cohæret tamen sibi, hinc duæ Jani frontes, at uni cervici impositæ: quorsum illud Ovidii:

*Jane biceps, anni tacite labentis imago,*
*Solus de superis, qui tua terga vides.*

habuitque apud Phænices ea de re speciem draconis in orbem redacti, at propriam deforantis caudam, quod tempus ex se alatur, & in se revolvatur. Macrob. *1. Saturn. 9.* Gürtler. *Orig. Mund. lib. 2. cap. 5. §. 5.* tenet hinc manu clavem dicitur Claviger, tanquam anni Janitor singulorumque mensium, ac vocatur primus anni mensis de ipsius nomine Januarius aræ sunt illi duodecim, totidem menses, quibus annus absolvitur, notantes; digitos habet ita inflexos, ita figuratos, ut juxta rationem computandi per digitos, totius anni dimensionem contineant: Plin. *lib. 34. nat. hist. 7. Præterea,* inquit, *Janus Geminus à Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis*

*ratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per significationem anni, temporis & ævi se Deum indicaret.* Hinc dicitur etiam *Ganus*, quasi *Eanus*, ab *eundo*, vel Cimbrico *gaen*, quia tempus nunquam quiescit: Cruq. *ad. Horat. 2. ecl. 6. & Diespiter*, quasi *dierum pater*. Cruq. *all. l.* hinc conspicitur quandoque quadrifrons, ut ostendat quatuor anni ætates, & quatuor, quas Sol radiis suis illustrat, mundi partes: biceps vero, quia Sol utramque domum (ita loquitur Seneca *in Hercul. act. 1. v. 2.*) i. e. orientem & occidentem respicit. Macrob. *lib. 1. cap. 9. quasi utriusque januæ cœlestis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat.* Facie barbata solem significante orientem, ejusque radios, imberba vero occidentem: nisi per partem barbatam malis intelligere Solem duntaxat ut Solem, per imberbem vero lunam, utpote cum & hæc appelletur Jana, Oudaen. *Roomsch. Mog. pag. 244.* & ob id in facie imberbi adumbrata, quia luna tanquam corpus opacum propria luce & radiis, adeoque omni barba caret, cum è contrario Sol propter radios suos barbatus appareat, nam eodem sensu & aër, nubes, & arbores dicuntur habere barbam, uti in illo

Ovidii: *barba gravis nimbis*: & quis non videt inter caput hominis, ejusque barbam, & ſolem ejusque radios quandam ſimilitudinem ? quemadmodum enim in macrocosmo ſol omnia illuſtrat, & inter ſigna cœleſtia capitis inſtar emicat, ita eſt in microcosmo caput hominis cæterorum membrorum ſol, illuſtrans totum corpus: unde Paulus in *l. 44. ff. de relig. mihi autem videtur illum religioſum eſſe, ubi quod eſt principale, conditum eſt, id eſt, caput, cujus imago ſit, inde cognoſcimur.* Uti radii magnam ſoli conciliant majeſtatem, ita tribuit barba ingentem viro auctoritatem gravitatemque, imo & majeſtatem juxta Barbatium in libr. *de Majeſt. Barb.* ſicuti ſolis radii ſunt acuti, penetrantes, ſubtiles, innumerabiles, ita inſunt eædem qualitates & barbæ, ejusque pilis: quapropter Jani noſtri barba quadantenus in acutum deſinit, & cuſpidem quandam in extremo habere videtur, perſubtiles enim ſunt ſolis radii, eſtque Apollo hac de re ἑκηβόλος, i. e. *ſagittarius*, ab Homero dictus, quia Sol, quem repræſentat Apollo, radios ſuos ut ſagittas inſtar ſagittarii jaculatur in terras: & cui non ſuboritur hic ſuſpicio, Philoſophos eandem ob cauſam non modo gravem promiſſam

missamque, verum simul etiam cuspidatam cacuminatamque barbam habuisse, talem habet inter alios Callisthenes Aristotelis socius, comes Alexandri Magni, & præceptor Lysimachi in marmore apud Ursinum XLI. vocatur ejusmodi barba *hircorum barba*, sive *barba hircina*: Cuper. *apoth. Homer. pag. 167. & seq.* propterea quod speciem habeat barbæ hircorum, vel quod barba hircina symbolum referat virtutum solis, ejusque radiorum: est enim hircus animal maxime libidinosum, flagranti salacitate exæstuans, de cujus natura Plinius Secundus: *hirci si casu aliquos coëuntes vident, adeo indignantur, ut in eos impetum faciant:* Horatius: *libidinosus immolabitur caper.* Soletq; certis temporibus ἀποβλέπειν πρὸς τὴν ἀνατολήν. Bochart. *Hieroz. p. 1. lib. 2. c. 54. n. 50.* unde & Mendesii hircum coluerunt pro sole, haud alia incitati ratione: Clemente Alexandrino teste *Admon. ad Gent.* Μενδήσιοι σέβουσι τὸν τράγον. Ouzel. *ad Minuc. pag. 167. & seq.* barba igitur, & speciatim hircina barba confirmat pulchre quam Janum inter & solem convenientia posuimus: quæris si biceps ille barbatus ac imberbis Janus solem repræsentat aut mundum, quid igitur causæ, quod Numa

Pompilius illius templum pacis tempore claudi, at belli, aperiri voluerit? putant nonnulli id factum esse in recordationem prodigiosi istius auxilii, quo, Romulo contra Sabinos pugnante, & jam fere defecto, horum exercitus aqua calida ex eodem loco, erumpente fugatus est: quasi templi aperitio esset tum assistentiæ divinæ imploratio, tum ad fortiter pugnandum exhortatio, &, in extremo etiam anticulo non abjiciendum esse animum, admonitio: speciose satis: accommodatius autem est nostro themati hocce Servii *ad Virgil. 7. Æn. 610. alii Janum mundum accipiunt, cujus caulæ ideo in pace clausæ sunt, quod mundus undique clausus est, belli tempore aperiuntur ad auxilium petendum ut pateant:* Nec contemnenda, (quasi Janus apertus notetur facie barbata, i. e. tempus belli, & clausus, imberbi, i. e. pacis tempus) sequens expositio Al. ab Alexand. *lib. 1. gen. dier. 14.* dicentis: *apertus, ut omnia hostilia esse, & cuncta bello ardere, velut contra hostes profecto Deo: clausus vero, tranquilla pace vigere, & ab armorum strepitu procul esse designare.* Janus igitur apertus & clausus (quem Peruani *Pachacamac* Hispani *Animador del mundo* vocant; Temple. *Staat. Tract. p. 2.* *pag.*

*pag. 491.*) isque barbatus & imberbis notat totius mundi statum & omne tempus, utrumque scilicet & Pacis & Belli, illo existente, dicebatur *Clausius & Clusius*; hoc *Patulcius*: Ovid. *lib. 1. Fast.*

*Nomina ridebis: modo namque Patulcius idem*
*Et modo sacrifico Clausius ore vocor.*

Patulcius potest comparari cum Marte Gradivo Clusius cum Marte Quirino, ille cum facie barbata, hic cum imberbi: quis enim ignorat Solem & in Marte adumbratum? Dn. Cuper. *in Harpocr. pag 14.* Oudhoff. *comm. in libr. Ruth. pag. 154.* vocatur hinc Lucetius & Segomo in lapide prope Moguntium: vid. *Not. ad. Martin. Opit.* Lob des Kriges-Gottes. *v. 838.*

*Th. 47.*

Divum Pater atque hominum Rex vocatur *Jupiter*: quasi *Juvans Pater*, ex verbo *juvare* & voce *pater*, juxta illud Virgilii *9. Æn. 127. his Jupiter ipse, auxilium solitum eripuit.* Cicer. *2. de nat. deor. 64. Sed ipse Jupiter, i. e. juvans pater, quem conversis casibus apellamus à juvando Jovem.* A. Gell. *lib. 5. noct. att. 12. Jovem Latini veteres à juvando appellavere, eundemque alio vocabulo juncto Patrem dixerunt.* Communis equidem eademque notissima expositio, at naturæ illius, qui variis mun-

dum temperat horis, re bene ponderata, haud admodum conveniens, vel solo Lactantio judice *de Falf. Rel. lib.* 1. *cap.* 11. *& Jupiter quasi juvans pater dicitur, quod nomen in Deum minime congruit, quia juvare hominis est, opis aliquid conferentis in eum qui sit alienus & exigui beneficii, nemo sic Deum precatur, ut se adjuvet, sed ut servet, ut vitam salutemque tribuat, quod multo plus ac majus est, quam juvare: & quoniam de Patre loquimur, nullus pater dicitur filios juvare, cum eos generat, aut educat: illud enim levis est, quam ut eo verbo magnitudo paterni beneficii exprimatur: quanto id magis inconvenientius est Deo, qui verus est Pater, per quem sumus, & cujus toti sumus, à quo fingimur, animamur, illuminamur: qui nobis vitam impertit, salutem tribuit, victum multiplicem subministrat: non intelligit beneficia divina, qui se juvari tantummodo à Deo putat.* Interim videtur verisimile, illam inter rusticos operarios salutandi formulam *God. help. u.* inde suam habere originem: convenientius igitur erit, si dixeris, vocabulum istud *Jupiter* compositum ex particula *ju* & nomine *pater*, ut eo denotetur Jovem esse *magnum patrem*, auget enim perticula *ju*, & notat magnum aliquod: ita *juglans* est *magna*

*gna glans*, κάρυον βασιλικὸν, nux basilica, sive regia: Macrob. *lib. 3. Saturn. 18* ita *jugula* est magna stella: Festus: *Jugula stella Orion, quod amplior sit cæteris, quasi nux juglandis:* ita *jugulum* quasi *magna gula:* Joan. Pincier. *Ot. Marp. lib. 2. cap. 25.* ita *judex*, quasi *magna dicens:* quidni & illud Westphalicum *Juvercken?* virgo: quasi *ju vercken*, i. e. *magnus porcus*: sed vos elegantissimi juvenes nostis:

*Qui negat esse homines annuit esse deas.*

nec mirum quod particula *ju* talem vim apud Romanos habuerit, cũ τὸ βȣ̃ eandem obtinuerit apud Græcos, uti constat ex nominibus *bulimia*, magna fames, *bubrosis* magna voracitas, *bunebros*, magnus hinnulus, *bupæs*, magnus puer: *bucephalus*, magnum caput, *bulapathum*, Groß-Lenden-Kraut. hinc hodierna, *buba*, *busebelder*, *budeman*, *buleback*, *budemeier*, Ein grosser Meyer / sive Ein Hauß-Meyer: Galli: *Maire du palais:* Gryph. *de Weichb. Sax. cap. 8. n. 13.* Bonifac. *Ludicr. Hist. lib. 17. c. 7.* Jupiter igitur est *magnus pater*, quia est Divum pater atque hominum rex Phædr. 1. *fab. 3. Pater Deorum risit.* Plaut. *prol. in amph. quis benefactis meus pater Deum regnator, architectus omnibus:* Ennius apud Ciceronem 2. *de nat. deor.* 4.

*patrem divumque hominumque*: quidni eum ob id etiam barbatum fuiſſe dixeris? in Pantheo habuit ſane prolixam: uti conſtat ex ejus effigie: vid. Laurent. Beger. *Theſ. Elect. Brand. p. 3. de Jov. Cap. p. 219.* talem refert eum quod Auguſtæ Vindelicorum ad portam D. Jacobi extat monumentum, quod exhibet Marcus Velſerus in *Rer. Aug. Vind. pag.* 106. conſentit Cicero *de Nat. Deor. lib.* 1. *iſto modo dicere licebit Jovem ſemper barbatum*: & tum: *Jupiter barbatus:* Lucianus *de Sacrif.* οἱ δὲ ὐκ εἰδ᾽ ὅπυ ἰδόντες ἀναπλάσσυσι γενειήτην μὲν τὸν δία. Neque oſtat quod Pauſanias in Eliacis eum prædicet imberbem: ἔςι δὲ καὶ ἄλλος Ζεὺς ὐκ ἔχων πωγένειον. nec quod in quodam Panſarum familiæ denario apud Fulvium Urſinum de *Famil. Roman.* appareat imberbis, cum inſcriptione: JOVIS. AXUR. C. VIBIUS. C. F. C. ubi *Axur* idem notat quod *Jupiter Anxurus*, i. e *imberbis*, ἄνευ ξυρὰς, *ſine novacula*, Serv. ad *Virg. 7. Æn.* 799.

*Queis Jupiter Anxurus arvis præſidet.*

vel ab ἀναξηράω. ſeu ἀναξύω, quod abradere, levigare, expolire ſignificat. Cruq. *ad Horat.* 1. *Sat.* 5. vers.

*atque ſubimus*
*Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.*

conf Martial. *lib* 5. *epigr.* 1.

Sive

*Sive salutiferis candidus Anxur aquis.*
licet alii illud epitheton malint deducere à civitate *Anxur*, postea *Terracina* dicta, utpote cum Jupiter in hac templum habuerint. Oudaen. *Roomsch. Mogen. pag.* 258. hæc, inquam, non obstant: sciendum enim est, Jovem ut plurimum quidem barbatum fuisse, at non semper, neque ubique: *quid ipse Jupiter vester*, inquit Minucius Felix in Octavio, *modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur:* at cur tam varie? merito quis quærit: ratio in promtu est: & quidem duplex: tum quod Jupiter imberbis modo prima hujus mundi initia, modo etiam ipsius urbis Romæ primæ tempora & incunabula notet: Juvenalis: *& Jove nondum Barbato:* ob hanc causam Ζεὺς vocatus, ἀπὸ τῆς ζωῆς, i. e. vita: Serv 1. *Æn.* 392. verb. *aures vitales carpis.* tum quod Romani per Jovem Barbatum & imberbem respexerint ad Cæsarem Augustum, ejusque imperium: utpote cum Augustum non modo ut Jovem salutaverint, verum etiam divisum cum Jove imperium habere scripserint: unde Horat, 1. *od.* 12. *tu secundo Cæsare regnes:* & *od.* 10. *Te canam magni Jovis*, i. e. Augusti, *nuncium*: ubi per Mercurium, ad quem ode ista est data, credo intelligi

P 5 Me-

Mecœnatem: confirmat idem auctor Consolationis ad Liviam:

*Nata quod es alte, quod fatibus aucta duobus,*
*Quodque etiam magno consociata Jovi*

ut facile sit colligere, quare Jupiter nonnunquam imberbis locatus sit: scilicet, cum sub initium Monarchiæ recenter stabilitæ, ipsius Reipublicæ ab Augusto occupatæ facies adhuc dum juvenilis, i. e. levis, fragilis, & periculosa videbatur, in tantum ut Augustus ad mores populi pristinæ libertatis adhuc bene memoris sese componere, in multis simulare, & lege licet Regia lata, qua omnem ei & in eum potestatem populus contulerat, causas nihilominus in Senatum per candidatos suos deferre debuerit, tum sane erat Jupiter nondum barbatus, tum sua in populum fulmina nondum mittebat Augustus, tum erat tollerabilis imperii machina, tum obtinebat illud Ovidii 3. Fast.

*Jupiter est juvenis, juveniles aspice vultus,*
*Aspice, deinde manu fulmina nulla tenet.*
*Fulmina post ausos cœlum affectare gigantes*
*Sumpta Jovi: primo tempore inermis erat.*

& quamvis Augustus nonnunquam dicatur fulminare, ipsique à poëtis fulmina adscribantur, illud tamen vel ex singulari puta adulatione dictum, vel de certo supplicii genere uni alterive imposito in-

intellige, minime vero de ipſo Populo Romano, aut univerſo imperio, hujus enim intuitu erat Auguſtus adhuc Jupiter imberbis, nec fulmina, vibrabat ulla: & ita cape Ovidium, dum inquit,

*Parce precor; fulmenque tuum fera tela recondе*
*Heu nimium miſero cognita tela mihi.*

vid. Ill. Cuper. *in explicat. Gemm. Auguſt. poſt. Apoth. Homer. pag.* 205. interim nec ille errabit à vero, qui Romanos dixerit ſub ſpecie imberbis Jovis Imperatoribus ſuis bene precatos fuiſſe, iisque quamcunque felicitatem, ac omnium ex voto conſtitutarum rerum incrementa optasſe, quo nimirum non ipſe ſolum Imperator, verum univerſa etiam Respublica vegeti juvenis inſtar in dies accreſcat, ſemper vireſcat, ac floreat: ſaltim non abhorret à tali conjectura ille in Valerianum nummus cum inſcriptione: JOVI CRESCENTI, item in Domitianum: JOVI JUVENI nam ſunt & hi Joves dicti, aliique poſt Auguſtum Imperatores, vel ſolo Caligula teſte apud Sueton. *in Calig. cap.* 22.

*Th.* 48.

A Jove ad Apollinem, à barbato ad imberbem intonſumque juvenem me delapſum video: communis enim Mythologorum

gorum est traditio, Apollinem juvenili facie apud plurimas gentes ac plane imberbem fuisse, idque probant multorum auctoritatibus: ita sane Callimachus in Hymno:

Αἰεὶ καλὸς, καὶ αἰεὶ νέος, ὔποτε Φοίβυ
Θηλείαις ὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρβαῖς.

vocatur ob hanc causam ab Homero ἀρεσκόμης, ab Horatio *intonsus lib.* 1. *od.* 21. hinc Hieron. Vida. *in Scacc. lud. p.* 351. *Tum Phœbum vocat intonsum.* Senec. *in Agamemn. v.* 312 *Tibi virgineas laurum quatiens de more comas.* Lactant. *lib.* 2. *Apollo imberbis:* Minuc. Fel. *octav. p.* 23. *Apollo tot ætatibus levis Æsculapius bene barbatus, etsi semper adolescentis Apollinis filius*; & ubi Joan. à Wower, Elmenhorst. Ouzel hinc Pomey *in Panth. Myth. Quis vero imberis ille intonsusque juvenis:* Arnob. *adv. gent. lib.* 6. *Æsculapius Apolline procreatus patre levi & glabro, simillimoque impuberi:* hinc etiam πολιὸς à Thebanis dictus, ἀπὸ τῦ πολῦ, quod pulchrum & album Hesychio auctore notat Cruq. *ad. Horat.* 1. *od.* 23. non obstante, quod Lucianus in libro, quem de Dea Syria conscripsit, Syros eum barbatum coluisse referat, hæc enim erat Assyriorum consuetudo, ut omnes Solis effectus atque virtutes ad simulacri barbati speciem

ciem referrent: & quis nescit Apollinem symbolum fuisse Solis? vidimusque jam supra, ubi de Jano nobis sermo erat, Solis radios inter & barbam hominis placidam esse convenientiam, ut nec mirum, quod Assyrii eum barbatum fecerint, alii contra imberbem, *quod ex eo natum*, inquit Ouzelius *ad pag.* 22. *Min. Fel. quia sol nullo vel tempore, vel labore, consenescit.* vel, *quod*, juxta Isidorum, *quotidie oriatur, & nova luce nascatur:* cur autem nonnunquam *puer* appareat, modo iterum *juvenis*, modo vero *senex*, id poterit quilibet ex eo facile conjecturare, quod Apollinem cum Sole comparaverimus: audiamus hac de re Amplis. Cuperum, cujus verba in Harpocr. sic habent: *Quo figmento ridentur tempus matutinum, meridiem, & vesperam designare, quibus Solis vis & potestas valde mutatur.*

*Th.* 49.

Juramentum litis decisiorium quod pars parti directo litis decidendæ causa defert, dividitur in judiciale & extra judiciale: illud est quod à parte parti *in judicio*, unde & in specie *judiciale* vocatur *l.* 12. *C. de Reb. Cred.* hoc est quod per modum conventionis defertur extra judicium, Bachov. *V.* 1. *D.* 21. *th.* 6. *lit. e.*

un-

unde &*voluntarium*, & *conventionale* dicitur *Rubric. ff. de Jurej. siv. volunt.* ita distinguunt Doctores communiter, & recte: consultum tamen duxi de hujus divisionis usu & differentia paululum disserere, tum quod Doctores, Procuratores, similesque Advocaturæ operam navantes sæpe gravissime peccent, nescientes quantum una differat ab altera species: tum quod præsenti nostræ materiæ, uti patebit, egregie inserviat. Primam differentiam adduxi modo, nimirū quod judiciale à parte parti deferatur in judicio, at conventionale extra judicium *l.* 17. *ff. de jurej.* ibi: *extra judicium. l.* 28. §. *fin. eod.* ibi: *extra judicium.* hoc uti apud Romanos olim frequens. *l.* 1. *ff. d. t.* ibi: *in usum:* ita hodie in foris Germaniæ rarissimum: *Nemo enim facilis in hoc erit, ut si extra judicium interpelletur de debito, interpellanti responsurus sit: si tu juraveris, me tibi debere, solvam: sed potius interpellantem ad Judicem remittet: Si tu existimaveris, me tibi debere, coram judice me compella, & ibi respondebo:* Stryck. *us. Mod. lib.* 12. *tit.* 2. §. 3. Secunda notabilis differentia consistit in eo, quod in juramento litisdecisorio voluntario

tario locum non habeat juramentum calumniæ, Borcholt. *de jurej. c.2.n.8.* ratio, quia hoc jurameutum defertur & suscipitur ex libera voluntate, ut consequenter juramentum exigi nequeat calumniæ à deferente, recuset enim, uti po test, si præstare nolit. *l. 17. de jurejur.* junct. *l. 15. C. de Oblig.* Lauterbach. *Coll. theor. pract. de jurej. th. 3.* cum sufficiat respondisse: **Ich mag nicht schweren**, ita ut præsumtionem factæ confessionis, pœnamque jurare nolentium non incurrat: Dn. Ludovic. *Us. Pract. dist. jur. lib. 12. tit. 2. dist. 8.* secus autem est in juramento judiciali, eo enim delato cogitur deferens de calumnia jurare adversario petente, *l. 34. §. 4. l. 37. ff. & l. 9. C. de jurej.* in tantum ut si illud recuset juramentum principali pro præstito habeatur: Carpzov. *p. 1. c. 12. d. 23.* solet hinc sententia hanc in rem ita concipi: **Erkennen wir / daß Beklagter den** deferirten **Eyd / wo Kläger zuvor den gesunnenen Eyd vor Gefehrde thun wird / zu leisten schuldig.** Scheidew. *ad. §. 11. J. de act. n. 93.* dixi *notabilis differentia:* quoniam sæpe animadverti id in actis ab Advocatis pertinaciter negatum, propter verba à Lauterbachio *pag. 180.* allegata sequentia: *unde deferens*

*non*

*non jurat de calumnia:* ſed notate vos Domini Advocati, Lauterbachium ibi agere de juramento litis deciſorio extrajudiciali, quod à judiciali in eo differt: Ludovici *Uſ. Pract. all. diſt.* haud firmiori fundamento innixi eſtis, quando illum, qui juramentum calumniæ præſtitit, non poſſe in expenſas condemnari contenditis: peſſime: nam juramentum calumniæ non liberat à litigandi temeritate, ſed tantum à calumnia & dolo malo, at condemnatio in expenſas fit propter temeritatem: *§. 1. J. de pœn. tem. lit. in. fin. l. 79. ff. de judic. l. 4. C. de fruct. & lit. exp. Nov. 49. c. ult. Nov. 73. c. 7. Nov. 82. c.* 10. & ita ſentiunt Rivin. *enunc. jur. ad. tit. 33. th.* 11. Hunn. *encyclop. p. 2 tit. 22. c. 4. in fin.* Brunnem. *ad l. 79. ff. de judic.* Aſin. *in Prax. cap. 1. §. 32. ampl. 73.* Wernher. *comp. Jur. lib. 4. tit. 23. §. 3.* Gilhauſ. *arb. jur. c. 15. n.* 112. Lauterb. *Coll. theor. pract. ad tit de jurej. in fin.* & ibi allep. Benekend. *in addit. ad Seraph. priv.* 13. *n.* 1. Obrecht. *cap.* 12. *num.* 13. & 14. Menoch. *lib. 5. præſ.* 25. *num.* 4. Covar. *in. pr. qu. c. 27. n.* 1. Hill. *in Don. l. 24. c. 3. lit. F.* qualem & ille mihi temeritatem videtur committere, qui tertiam eandemque notabilem à forma deductam differentiam non bene animad-

ver-

vertit: quid enim: si juramentum in judicio defertur, tum est illa præcise formula, quæ in judiciis consueta, recepta, & usitata, & sub qua communiter jurari solet, observanda, & juxta illam juramentum præstandum, adeo ut alia sanctæ contestationis formula nullatenus admitti, neque, quod exempli gratia sit dictum, Anabaptistæ ad formulam: **bey Mannen Warheit**/parte adversa non consentiente, admitti queant, sed possit illis à judice expresse injungi, **daß sie schweren sollen zu Gott auf sein heiliges Evangelium** / idque ex necessitate hypothetica, si nolint causa cadere, corporaliter præstare teneantur: STRYCK. *de Caut. Jur. p.* 2. *S.* 1. *n.* 54. *&* *Us. Mod. lib.* 12. *tit.* 2. §. 8. Wernher. *Comp. Jur. lib.* 4. *tit.* 20. §. 43. Conring. *Obs. Dic. Ost. lib.* 2. *O.* 90. Secus habet se res in juramento voluntario sive conventionali, illud enim dependet ex mero deferentis arbitrio, unde non tantum per Deum, sed & per caput, per salutem tuam, perque simile aliquod membrum præstari potest, ita ut Prætor illud tueri teneatur, *l.* 3. *in fin. l.* 4. *&* 5. *ff. de jurej.* quamvis enim illa per dispendium animæ peracta contestatio hodie, quod dolendum, non magni à multis æstimetur, uti cum

Germani dicunt, bey meiner Seeligkeit/ Belgæ *bij mijn ziel*, fuerunt tamen Ethnici longe aliter imbuti, utpote quibus per salutem suam jurans, per Deum jurare videtur, *l. 33. ff. de jurej.* *Quid ergo si per BARBAM tuam ut jures, tibi delatum sit juramentum, tu jurasti, an tibi quæsita sit actio?* verba sunt Dn. Strykii *in Us. Mod. all. l. §. 5.* hoc modo respondentis: *affirmo de jure civili: cum enim juramentum vim transactionis habeat: l. 2. ff. h. t. Wilhelm Anton de Freudenberg tr. de Rescr. Morat. concl. 30. n. 6. & seq. Setser. de jurament. l. 1. c. 25. n. 132. hinc actio non nascitur tam ex vinculo juramenti, quam ex modo transigendi, partibus placito: nam cum deferens potestatem juri suo renunciandi habuerit, liberum quoque erit ipsi, qualicunque contestatione debitoris acquiescere:* unde tum consequitur ex tali per barbam præstito juramento & hodie competere actionem ad præstandum id super quo juratum est, cum, uti dictum, hic non tam juramenti ejusque formulæ, quam transactionis ratio habeatur: licet enim moribus nostris nullum in judiciis admittatur juramentum, quod aliter quam per Deum profertur, Matth. 5. v. 34. *& seqq.* Distinguendum tamen est inter juramentum judiciale

ciale & extrajudiciale, item inter jus partium & judicis, sive inter ipsam ex tali præstatione ortam actionem, & pœnam à judice nihilominus infligendam, i. e. datur quidem juranti actio ad petendum id quod juratum, potest tamen tam actor quam reus propterea à judice puniri: natura & virtus transactionis, quæ in delatione & acceptatione istiusmodi juramenti consistit, jubent voluntque id quod actum est, debere valere, at simul etiam exigit ratio publica, ut partes propter illegitimam, eamque plane illicitam formulam juramenti, debitis coerceantur pœnis: neque hoc novum in jure nostro, ut unus idemque actus pro parte valeat, & pro parte pœna afficiatur: nam ita e. g. inita super privatis delictis transactione exstinguuntur actiones civiles, adeoque subsistit eatenus transactio, *l. 56. §. 4. ff. de furt. l. 17. §. 1. ff. de pact.* in delictis tamen famosis notatur reus infamia, tanquam confessus & condemnatus, *l. 4. §. f. & ll. seqq. ff. de his qui not. inf. v. l. 1. §. 3. in f. ff. de calumn.* idem de criminalibus persecutionibus in iisdem delictis judicium esto, ut scil. ipsa quidem transactio valeat, possitque peti quod promissum, *l. 17. §. 1. ff. de pact. l. 56. §. 4. ff. l. 13. C. de furt.* nihilominus

 minus

minus tamen & pœna aliqua desuper irrogari, *l.7.§.1.ff. ad SC. Turpil. l.f. ff. de prævaricat.* hon. Dn. Parens *Sicil. Man.3. n.16.* Aliud exemplum habet Stryk. *ad Lauterb.pag.175.* verb. *ipso jure nullum.*

*Th. 50.*

Jus Naturæ est, quod Natura omnia animaliadocuit, nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur: hinc descendit maris atque feminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus enim & cætera quoque animalia istius juris peritia censeri: *pr. J. de Jur. Nat. Gent. & Civ. l.1.§.3. ff. de J. & J.* Itane Sacratissime Princeps & in ipsum Naturæ jus legislatoriam tuam potestatem extendis? Itane non tantum homines, sed & cætera animalia, & ipsa inquã irrationabilia bruta ejusdem juris peritia existimas? at qui possunt animalia cetera hujus juris peritiã habere, in quæ nec jus aliquod nec ratio cadit? Jus na uræ est nihil aliud, quã lex naturæ, lex supponit obligationem, obligatio vim intelligendi, vis intelligendi rationem, at ratio est solius hominis, ergo & jus Naturæ: Cicer *de Nat. Deor. lib.2. soli ratione utentes jure & lege vivunt:* qui potest

in

in bruta jus cadere, in quibus nulla est societas, communio, injuria, religio, ratiocinatio, quæ ignorant singularia, quæ ad thema quoddam ex singularibus conficiendum plane sunt inhabilia: dic igitur cum Apostolo Paulo altæ rationis acutissimo Præcone: Jus Naturæ esse *jus inscriptum cordibus nostris Rom.* II. *v.* 15. est enim δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, *jus Dei: Rom.* I. *v.* 32. *jus connatum*: nascitur nobiscum, docens quæ natura sunt honesta, & quæ turpia prohibens: H. Grot. *de Jur. B. & P. lib.* I. *c.* I. §. 10. unde *lex civilis non scripta* ab Hobbesio vocatur *de Civ. c.* 14. §. 14. consequenter solis hominibus proprium: vid. *pr. J. si quadr. paup. fec. dic.* Novi, hisce opponi loca quædam ex Sacris Pandectis, in quibus Deus Optimus Maximus Legislator in brutis etiam vindicari jubet sanguinem hominis, *Genes.* 9. *v.* 5. uti, cum bos cornupeta hominem occidens supplicio afficitur *Levit.* 21. *v.* 28. & jumentum, cum quo homo coiit, interficitur, *Levit.* 20. *v.* 15. sicuti exemplum suspensi porci habet Guid. Pap. *Dec.* 283. & canum ob discerptum novitium Franciscanum, judice Mornacio, ad mortem condemnatorum Wissenb. *Disp.* 3. §. 5 sed non fit talis executio ob id, quod jumentum il-

lud injuriam fecerit, verum in hunc duntaxat finem, ut per ejusmodi animadversionem delicti magnitudo ostendatur: Cellar. *polit cap.* 8. §. 14. immo ut oculis hominum & conspectui subducatur animal, ne contaminatum nefario flagitio facti memoriã refricet mortalibus: August. *in c. mulier. q.* 1. Ant. Matt. *de Crimin. in prol. c.* 2. nec mirum videri debet, quod animalia tali pœna afficiantur, nam de Xerxe legitur quod & ipsum mare flagellari jusserit: Herod. *lib.* 7. sicuti Pharon Ægyptiorum Rex in medias fluminis voragines spiculum contorsit: Liebenthal. *Coll. eth. ex* 11. *q.* 5. quemadmodum Leges Persarum in tiaras & vestes eorum, qui puniebantur, & Atheniensium in gladium, quo quis occisus, animadvertebant: Boityn *de Mer. Jmp. membr.* 2. *in fin.* idem & Moscos sequi testatur Adolphus Lyseck *in Relat. ableg. ad Czarum. c.* 19. cujus verba curiositatis gratia subjicio: *Imo* inquit, *quod ridiculum, non in homines modo reos, sed in bestias etiam & inanimata sententia dicitur: Hircus in Bojari domo familiares inter ludos educatus, Bojari filium è gradibus deturbarat, hic post fustigationem Battoki in Siberiam exul relegatur, sententia tamen, quod cur-*

*rus*

*rus familiæ hircus fuerat, unius Kopeci in quotidianam annonam assignatione mitigata: graviorem Czarissæ disgratiam æs campanum propter turbatos quiescentis Ducissæ somnos incurrerat, dejecta turri, per carnificem flagellata Knutta, & ipsa in Siberiam relegata squalore ibi consumenda, nisi alterius, quæ defuncta priori Czari thalamum premebat, conjugis precibus, ea lege gratiam obtinuisset, ut æneis mutilata auribus, ferreas gestaret, & humiliori deinceps campanili diverteret, æterno insuper silentio imperato. Sanguinis etiam reum cultrum egerat Czarissa, quam & ipsum Siberia exulem recepisset, nisi affabre elaboratum ex argento manubrium gratiam impetrasset, & Siberiam gazophylacio obtinuisset commutari, ubi adempta ulterius secandi facultate captivus detinetur.* Sed quid responsi dabimus interim ad duos illos antea obmotos textus Juris Civilis, in quibus tamen claris & expressis verbis dicitur, quod cætera quoque animalia ejusdem Juris Naturæ peritia sint? non allucinatur, qui dixerit, in determinando jure naturæ non debere inspici quid leges civiles statuant, sed quid sana ratio velit, cum Jus Naturæ Justinianum nec ullum mortalium agnoscat legislatorem: verum nec hoc

 opus

opus est, verbis textuum bene ponderatis: tribuunt enim animalibus juris quidem naturalis peritiã, at non indistin&te, non nude & simpliciter, non sub forma juris seu legis, sed saltem quatenus nos videmus: *all. pr. J. de Jur. Nat.* ibi: *videmus enim:* i. e. quatenus nos observamus talia quandoque ab animalibus peragi, quæ jus naturæ hominibus facienda injungit: sensus ut sit, jus naturale solis quidem hominibus esse proprium, atque in nulla alia cadere animalia, quam solos homines, brutorum tamen animalium naturam ita instructam & dispositam à Deo, ut cœco naturæ impetu, juxta quem nec aliter agere possunt, multa etiam peragant, & in talia sæpe trahantur, quæ homo sub forma juris ut justa & æqua, bona & henesta, adeoque ex jure naturæ vel facienda, vel, si adversentur, omittenda cognoscit: homo igitur sequitur vel fugit illa ex *jure naturæ*, at animalia ex *natura* tantum, i. e. ex instinctu naturæ, & ex motu divinitus indito, **nach ihrem angebohrnen Art** / vel *aengeschapen Kracht*, ut Belgæ loquuntur: Grot. 1. *Intr.* 2. *n.* 9. quos actus Aristoteles vocat μιμήματα τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, *hist. anim. lib.* 9. *c.* 7. *simulacra virtutum*, Cicer. 2. *de fin. juris imaginem*

*nem*, Salmaſ. *de Uſur. c.* 9. unde Seneca *de Ira lib.* 1. *c.* 3. *muta animalia humanis aſſertibus carent, habent autem ſimiles illis quosdam impulſus:* tales ſunt, conjunctio maris & feminæ, procreatio, educatio, diſcretio, generoſitas, gratitudo, apprehenſio, imaginatio, fuga, fidelitas, defenſio,

*Tauro ferire cornu,*
*Equo ungala nocere,*
*Natura dat.*

Quis neſcit elephantes inſulæ Ceylani tanta inter alios pollere auctoritate, ut flexo poplite ab obviis ſalutentur: vid. Hübn. *Georg.* 2. *c.* 16. *th.* 7. *n.* 1. en ſignum *diſcretionis?* ecce etiã alterũ *generoſitatis, elephantes leonesque tranſeunt quæ impulerunt.* Senec. *de Clem. lib.* 1. *c.* 5. *gratitudinis* exhibent Ciconiæ, ſolent parentes ſenio confectos humeris portare, ad paſtum exportare ac cibũ ipſis indagare: Ariſtot. *lib.* 9. *hiſt. an.* 13. Plin. *lib.* 10. *nat. hiſt.* 23. Neeunhan *de Jur. ac Priv. vid. Sect.* 28. *lit. c. honeſtatis* cameli & equi cum aſcendentibus & deſcendentibus non coeuntes: Ariſt. *lib.* 9. *hiſt. an.* 47. *& mir. auſc. in pr.* Borcholt. *de grad. pag.* 109. Cellar. *polit. c.* 2. §. 23. *in fin.* Verũ hæc omnia & id genus alia ſapiunt, uti dixi, nil niſi ſimplicem naturæ motũ, à ſummo Creatore cuicunque animali diverſe

insitum: nec mirum: potest enim vel fragilis homuncio talem corporibus dare motum, qui spectatorem in summam admirationem abripiat: quemadmodum de Dædalo Atheniensi fabro Poetæ fingunt, eum tam eleganti artificio fabricasse, ut non solum vivere viderentur, sed etiam stare loco nescirent, & nisi vinculis cohiberentur, aufugerent, hinc *Dædala Circe* apud Virgil. 7. *Æn. v.* 282. & *Dædala tecta*, *Georg.* 4. *v.* 179. i. e. *ingeniosa tecta*: similem in Galliis à Petro Gassendo statuam factam, quæ salutare gestu poterat, merum propinare, & Rege præsente hanc vocem edere, *Salve Rex Christianissime*, refert Feltman *in Specil. pr. J. de Jur. nat. gent.* memini me Groningæ caput quoddam vidisse ex ligno compositum, quod vocem edere, & spectatores distincte salutare poterat: summus igitur cœli terræque Creator, æternus ille *Regnator & Architectus omnibus* Plaut. *in Prol. Amph. cui nec viget quicquam simile aut secundum*, Horat. 1. *od.* 12. ille inquam potuit multo magis tali animalia muta dotare qualitate, ut secundum motum ipsis impressum se habere semper debeant, ita tamem ut nos, quæ agunt, non juri naturæ adscribere cogamur, sed natura-

turali tantum instinctui à Deo indito: Job. *38. v. 36.* Esa. 1. *v. 3* Jerem. *8. v. 7. Proverb. 6. v. 6.* Math. *10. v. 16.* cui tum inservire potest illa Doctorum distinctio, qua jus naturæ dicunt in animalia cadere *materialiter*, non *formaliter*, quæ eadem videtur esse cum illa, quæ jus naturæ vel *proprium* facit, vel *improprium*: ita ut animalia juris naturæ capacia sint *improprie* non vero *proprie*: At quid facit hæc distinctio ad barbam? quoniam Clar. Ludovici eam enervare & absurditatis accusare gestit exemplo quodam à barba petito: his verbis: *Est certe hæc distinctio ejus generis, ac si quis inter hominem proprium & improprium distinguere, & per hominem improprie dictum simiam, vel aliam bestiam bipedem intelligere vellet: imo non absimilis est alteri cuidā inter barbā rationalem, & irrationalem quam posteriorem capro tribuerat nonnemo* vid. *Us. Pract. Dist. lib. 1. dist. 8.* Verū quid vult sibi barbæ divisio in artionalem & irrationalem? quid evincit illa contra juris naturæ dictionem vel proprie vel improprie acceptam? nihil profecto: nemo enim adeo stolidus est, ut vellet Jus Naturæ in rationale & irrationale dividere: si igitur exemplum barbæ rationalis & irrationalis efficeret aliquid,

quid, oporteret ſane jus etiam naturæ ita diviſum fuiſſe, aut deberet barbæ negari in propriam & impropriam diviſio: at quis negabit illam barbatus? vid. *ſupr. th. 4.* quid poterit magis improprium dici, quam *barbæ legem* habere: ita tamen Seneca *3. Q Q Nat. 29. legem barbæ & canorum nondum natus infans habet:* an dividitur propterea lex in rationalem & irraitonalem? abſit! ſed vocabulum *legis* ſumitur ibi improprie, uti in illo Maronis de apibus:

*conſortio tecta*
*Urbis habent, magnis agitant ſub legibus ævum:*

Senec. *Med. v. 319.*

*Auſus Typhis pondere vaſto*
*Carbaſa vento, legesque novas*
*Scribere ventis.*

quidni igitur & juris naturæ ſignificatio tam late ſumi poterit, ut propter quosdam animalibus cum homine communes actus, licet diverſo reſpectu, id etiam in pecudes dicatur *improprie* cadere, cogitando, quod verba in jure noſtro ſæpe ponantur καταχρηστικῶς, i. e. *abuſive*, *l. 58. de U. S. l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult.* & ἐν πλάτει, *l. 3. ff. de condict. trit.*

*Th.* 51.

Ad titulum Pandectarum Nautæ, Caupones, Stabularii (quos tres nebulones

vo-

vocant Zaunschliff. *de off. jud. suppl.* Klock. *de Ærar. lib. 2. cap. 59. n. 7.* solet à quibusdam quæstio moveri, num hospes ad hospitandum possit cogi, i. e. an invitus teneatur peregrinantes in ædes suas & sub tectum recipere? affirmant id multi propter *l. 1. §. 6. ff. furt. adv. naut.* & tum maxime, quando publicum aliquod signum ædibus affixum est, **Wann ein offen Schild aushänget**/ juxta illud,

*Villa negans requiem terra sorbetur hiatu,*
*Hospitium, facinus turpe, negare bonis.*

nec Turcis id ignorantibus à quibus

*Balnea, templa, vagis ac tecta patentia passim*
*Hospitibus poni splendidiora solent.*

cessabit igitur in diversoriis illud Belgarum, *een jeder is Meester in syn Huys:* Freudenberg. *de Rescr. Mor. tit. 7. c. 43. n. 27.* quamvis alias verum sit, quod nobilis rustico in ædibus ejus surgere & cedere debeat, Sprenger. *de jur. ædific. c. 8.* ac in aliena domo deceat esse surdum & mutum, uti Omulus Anton. Pio respondit, Math. *th. hist. in Anton. P.* vid. quæ dixi *de jur. sanct. cap. 2. th. 8.* quod & ille Hispanus bene novit, qui Fridericum II. Comitem Palatinum jussu Caroli V. ad eum divertentem hisce verbis excipiebat: *Ædes ad me, non ad Imperatorem pertinent:* Arnold Reyger *thes. jur.* voc.

ho-

*hospes:* & ibi Daniel Venediger a Punckau *in addit. n. 6.* Interim extendunt quod modo de invita receptione dixi, Doctores, in specie Decius, ad meretrices in lupanari stantes, in tantum, ut & illæ quemcunque vasatum admittere cogantur, at *turpissime, & contra omnem juris & æqui artem*, inquit Gothofred. *ad l. 156. de R. J.* & recte: qui potest enim hæc ampliatio admitti, ubi ne ipsa quidem regula subsistit? nam quod caupo teneatur commeantes recipere invitus, non credo esse verum, inhæreo potius parœmiæ isti Belgicæ, *een jeder is Meester in syn Huys:* Probo hanc sententiam per expressa verba *l. 1. §. 1. ff. naut. caup. stab. nam est in ipsorum arbitrio, ne quem recipiant:* ibique Gloss. conf. *l. 5. §. solam. C. de Metat.* Item per argumentum *l. 3. §. 1. ff. naut. caup.* ubi receptio refertur ad contractus consensuales: concordat hoc etiam cum regula juris, *quemlibet esse rerum suarum moderatorem & arbitrum: l. 21. C. Mand.* consentiunt hon. Dn. Parens *ad Inst. Lib. 4. aphor. 32.* Simon van Leeuwen *Cens. For. part. 1. 5. c. 30. n. 5.* neque adversatur *l. 1. §. 6. ff. furt. adv. naut.* nam hæc verba, *nec repellere potest iter agentes*, non significant, quod invitus teneatur iter agentes in di-

ver-

versorium admittere, sed quod illi sponte veniant, sine cauponis facto, id enim volunt verba *eligere: repellere*: ut sensus sit, cauponem illorum, qui in caupona ejus exercendæ, vel saltem ibi habitandi causa commorantur, debere factum præstare in duplum, quia personæ istæ in cauponam non venere sponte, sed ab ipso caupone vocatæ & electæ sunt, ut consequenter ipsemet alicujus culpæ reus sit, propterea quod non melius in illorum, opera quorum utitur, conditionem inquisiverit, at cum viatores sponte veniant, & sæpius ex improviso, eum ob horum factum, deficiente omni culpa, in duplum conveniri non debere, *quis enim potest repellere iter agentes*? vid. *l. 6.* §. 3. *ff. naut. caup.* ibi: *hospitio repentino*: nisi quis malit legem restringere ad casum quo caupo viatores jam semel recepit, ut tum locus sit regulæ, *quod initio est voluntatis, id est postea necessitatis*: *l.* 17. §. 3. *ff. Commod. lib.* 5. *C. de Obl. l.* 3. §. 1. *ff. de Recept.* ita est de Jure Civili, à quo Praxis hodierna hactenus recedit, ut qui publicum artis cauponiæ signum habent, deficientibus legitimis recusandi causis, à Magistratu ad rcipiendum compelli possint: arg. *l. ult.* §. *pen. & ult. ff. de Mun. & hon.*

Lau-

Lauterb. *Coll. th. pract. lib. 4. tit. 9. th. 7.* Mev. *p.* 3. *Dec.* 63. *n.* 1. Stryck. *Us. Mod. lib. 4. tit. 9. §. 2.* Homborg. *præl. acad. lib. 4. tit. 5. in fin.* Herm. Stamm. *de serv. perf. lib. 2. c. 16. n. 3.* Besold. *thes. pract.* voc. Schenckrecht. quod tamen singularem iterum exceptionem patitur in Sicilia quoad feminas, omnesque masculos adhuc imberbes, quia omnibus investibus prohibitum est publica intrare diversoria, adeo ut illi non tantum cauponem non cogere, verum etiam ne quidem consentiente eo admitti queant: in testem provoco Berckemejerum: en ipsissima verba: In Sicilien ist die lächerliche Gewohnheit / daß kein Frauen-Zimmer / ja nicht einmahl die Mannes-Personen selbst / die noch keinen Bart haben / in einem öffentlichen Wirts-Hause logieren dürffen: Daher gewisse Leute bestellet seyn / die des Nachts die Bette visitiren müssen / ob drin ein Kinn ohne Bart vorhanden. Ubi tum posset quæstio moveri, num imberbis contra consuetudinem vel statutum ingressus diversorium actione vel in duplum vel in simplum contra cauponem experiri queat, quando res quædam vel ab illis, opera quorum caupo utitur, vel ab aliis ei sunt ablatæ? quod negandum puto: non quasi exi-

existimem illud edictum ratione dupli non esse amplius in usu hodie, contrarium enim ostendunt Stryck. *Us. Mod. tit. ff. furt. adv. naut.* §. 1. Carpzov. 2. *C.* 26. *d.* 10. Lauterbach. *Coll. theor. pract. naut. caup. stab.* §. 30. Mencken. *Contr. Sel. D.* 2. *th.* 12. Tabor. *Racem. Crim.* 7. *th.* 32. Esbach. *ad Carpz.* 2. 26. 9. *vid.* hon. Dn. Parens *Lib.* 4. *Aphor.* 30. *vers: ceterum.* sed quod ratio, ob quam caupones vel in duplum vel in simplum tenentur in Sicilia nullatenus locum habeat in personis imberbibus, ratio enim ob quam caupo obligatur est hæc, quia, dum cauponam exercet tacite censetur appromittere, & personas & res ibi salvas fore: Franc. Roccus *de Navib. & Naul. not. XL.* Bockelm. *ad ff. d. t.* §. 3. Coccej. *Jus Contr. lib.* 4. *tit.* 9. *qu.* 1. atqui tacitum illud pactum neutiquam præsumi potest cum illis esse initum, cum quibus ne quidem expressum inire licitum est, *legibus enim patriæ suæ & provinciæ obedire debent* caupones, *l.* 3. §. 1. *ff. de mun. & hon. l.* 17. §. 6. *& l.* 38. *ff. de pact.* unde tum in illis imberbibus, si probare non poterunt, furtum à quo sit patratum, obtinebit regula juris, *quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire l.* 203. *de R. J.*

*Th.* 52.

Adoptio dicitur *actus legitimus, quo extraneos in locum liberorum nostrorum adscissimus*, *l.* 1. *l.* 25. §. 1. *l.* 37. *l.* 43. *l.* 44. *ff. de adopt.* estque nomen compositum ex præpositione *ad* & verbo *opto*, notans singularem affectum, quo juxta legum præcepta in filii vel filiæ locũ nobis aliquẽ eligimus, optamus, adscissimus, appropriamus, quemadmodum ex sequenti monumento

- - - - VS. OPTIO - - - -
- - - - RAETERI - - - -
V. S. L. M.

quod exstat Augustæ Vindelicorum in horto è regione Collegii Societatis Jesu bene observavit Marcus Velserus *Rer. August. Vindel. pag.* 214. Verum non potest hæc optio fieri promiscue, sed est instituenda secundum certas à lege præscriptas formulas, quia est actus legitimus in solenni significatu, de quo in *l.* 77. *de R. J.* sicuti demonstravi fusius in *Comment. theor. pract. ad Lauterb. pag.* 63. *& seqq.* & constat clare *ex l.* 4. *& ult. C. de adopt. l.* 77. *de R. J.* junct. *l.* 24. *ff. de adopt. l.* 25. §. 1. *ff. eod. l.* 3. *ff. de offic. proc. l.* 5. *C. de Suis & leg. her.* Paul. 2. *Inst.* 25. 4. Treutl. *Vol.* 1. *Disp.* 2. *th.* 8. *lit. a. in exeg.* ut nesciam qua

qua moti ratione id negent Gothofr. *ad l.* 4. *C. de adopt.* Wissenbach. *embl. Tribon. in l.* 77. *de R. J.* neque enim abrogata sunt omnia adoptionis solennia *all. ll.* adeoque non obstat. *l. ult. C. de adopt.* Dividitur communiter in adoptionem in specie & arrogationem, quarum una ab altera differt subjecto, forma & effectu: hon. Dn. Parens *Inst. Lib.* 1. *Aphor.* 55. Nam (1) adoptio est filiorumfamilias sive juri patrio subjectorum, arrogatio vero hominum sui juris, §. 1. *J. de adopt.* atque hæc est prima differentia ratione subjecti. (2) Arrogatio debet fieri auctoritate Principis, ad adoptionem sufficit Magistratus auctoritas, *all.* §. 1. A. Gellius *noct. att. lib.* 5. *c.* 19. unde arrogatio dicitur expediri per *Sacrum Oraculum*, §. 11 *J. de adopt.* item, per *rescriptum Principis*, *l.* 6. *C. de adopt.* quamvis *causæ cognitio* in arrogatione necessaria apud Magistratum, Prætorem, Præsidemque peracta fuerit: Aliud enim est apud Principem sive coram Principe aliquid facere, aliud vero ex auctoritate Principis *l.* 2. *C. de adopt.* Coll. Jur. Argent. *lib.* 1. *tit.* 7. *th.* 19. Bicc. *Aur. Jur. Civ. tit. de adopt. n.* 24. *lit. a.* neque adversatur huic distinctioni, quod arrogatio auctoritate *Pontificis* facta perhibea-

hibeatur, Alex. ab Alexandr. *gen dier. lib. 2. c. 8.* verb. *quod si quis sui juris arrogandus foret, quæ causa adoptionis, quæ ratio generis, quæ dignitas, quæve essent sacra apud Pontifices lege quærebatur, quæ lex Curiata dicta est.* Tacit. *lib. 1. hist.* verb. *igitur Galba apprehensa Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur, si te privatus lege Curiata apud Pontifices, ut moris est, adoptarem.* Hoc inquam non adversatur: sciendum enim est, apud Collegium Pontificum, de quo in *l. 2. §. 6. de Orig. Jur.* tales similesque actus olim celebratos fuisse, cum tam literarum publicarum, quam rerum gestarum monumenta, custodiam annalium, sacrorum curam, leges 12 Tab. interpretandi potestatem, & actiones formandi auctoritatem una cum fastis habuerint. Cicer. *in exord. orat. pro Domo sua ad Pontific.* Georg. Eberlin. *de O. J. cap. 7. n. 12.* quæ jura cum postea ab Imperatoribus occupata sint, ipseque Pontificatus cum Principatu conjunctus, hinc accidit, ut unum idemque negotium modo Principi adscribatur, modo Pontifici, vid. Steinberg. *Diss. 6. §. 12.* quippe omnes post Augustum Romani Principes Pontificatum Maximum sibi vindicarunt, & Pontifices appellari volue-

luerunt: Onuph. Panvin. *Descr. Rom. lib.* 2. Vitriar. *Jur. Publ. lib.* 1. *tit.* 4. §. 1. *& ibi Pfeffing.* unde Domitianus titulum summi Pontificis habet apud Juvenal. *sat.* 4. *v.* 46. conf. Plin. *lib.* 10. *epist.* 73. Fritsch. *Jus Eccles. tract.* 5. *cap.* 15. §. *Coronidis loco.* Rosin. *de antiq. Rom. lib.* 3. *cap.* 22. at cui non cantatus hic Hylas? satius erit dixisse, quomodo porro ratione formæ arrogatio ab adoptione differat: scil. in arrogatione requiritur expressus puberis consensus, *l. 2. pr. & l. 5. ff. de adopt.* &, si habet, curatorum *l. 8. ff. d. t.* junct. *l. 2. ult. C. de auct. præst.* at in adoptione sufficit patris consensus, & filii taciturnitas *l. 5. ff. l. ult. C. de adopt.* Differunt (3) ratione effectus: transit enim arrogatus in arrogatoris potestatem indistincte & plene cum tota sua familia §. 11. *J. l.* 2. §. *ult. l.* 15. *pr. l.* 40. *ff. d. t.* non vero adoptatus in specie, jus succedendi ab intestato tantum consequens, §. 2. *J. l. pen. C. d. t.* §. 8. *J. quib. mod. jus patr. pot. solv.* nisi adoptio sit facta in linea recta, e. g. ab avo materno, tum enim, propter duplex vinculum sanguinis & adoptionis, quod fortius ligat, transfertur patria potestas. §. 2. *J. d. t.* quæ exceptio tum firmat regulam modo allegatam in casibus non exceptis,

*l.* 12. §. 43. *v. denique ff. de instr. vel instrum. leg.* juvat §. *14. J. de hered. quæ ab int. def.* ubi expresse dicitur, quod nullo vinculo adoptanti sit copulatus: conf. Marc. Lycklama *membr. lib.* 1. *ecl.* 25. Dn. Coccej. *Jus contr. ad tit. de adopt. qu.* 8. Hænon. *disp.* 2. *qu.* 22. opp. *l.* 1. *ff. de adopt.* ibi: *filiosfamilias.* ℞. alii legunt *filios:* Gothofr. *in not.* pessimè! *l.* 9. *C. de LL.* tu dic textum esse abrogatum per jus novum §. 2. *d. t. l. pen. C. de adopt.* junct. *l. ult. ff. de const. Princ.* quis nescit Modestinum ejus auctorem ævo Alexandri Severi vixisse, adeoque ante subsecutam à Justiniano emendationem? Feltman. *Specil. ad* §. 2. *d. t. n.* 24. & ita cape illud Terentii *adelph. act.* 1. *sc.* 2. *tuum filium dedisti adoptandum mihi: is meus est factus.* opp. quod adoptatus possit emancipari *l. pen. C. de adopt.* atqui emancipatio supponit patriam potestatem. ℞. verba legis quæ de *emancipatione* agunt, continentur adhuc in enarratione juris ibi facta antiqui, quæ tamen statim corriguntur & emendantur per verba sequentia *omnia igitur:* nisi malis textum capere de emancipatione minus plena, respectu successionis ab intestato: hon. Dn. Parens *Sicil. man.* 4. *ad p.* 18. Homborg. *Prel. Acad. lib.* 1. *tit.* 11. §. 2. certum

tum enim est verba hæc *emancipare*, *manumittere*, non semper habitum ostendere. *§. 10. J. de adopt.* §. *ult. J. de ingen.* Donell, 2. *Comm. Jur. Civ. cap.* 11. Cœtera quæ opponi possunt tacita relinquo, utpote notoria, levia, & passim obvia: Video vos singulari exspectatione suspensos horum omnium anhelare applicationem: en brevibus: consistit ea in notabili barbatos inter & imberbes differentia, quam primo pertinentem ad subjectum loco potuissem allegare: stante nimirum Republica receptum erat, ut imberbis quidem adoptari, neutiquam vero arrogari posset; per imberbem autem intelligebant impubem, qui speciali nomine vocabatur *investiceps*, sicuti è contrario pubes sive barbatus *vesticeps*, ostendit id paucis A. Gellius *noct. att. lib.* 5. *c.* 19. his verbis: *Sed arrogari non potest nisi jam vesticeps:* item Vinnius *in Comm. ad* §. 1. *J. de adopt. n.* 1. ubi inquit: *Et haud dubie inde est, quod adrogari non potuit, nisi jam vesticeps: nam impubes, quem investem dicebant, auctor in eam rem propter ætatem fieri non potest, neque tutoribus tanta erat potestas, ut caput Liberum, fidei suæ commissum, alienæ ditioni subjicerent.* Nihil moror auctoritatem Isidori, quando *lib.* 10.

*Etym. cap. 9. investis*, inquit, *id est, sine veste: nondum enim habet stolam, quod est signum maritalis virginitatis.* Vesticipem enim veteres eum dixere, cujus genæ prima barba vestirentur, ut contra investem, cui nulla vestis, id est nulla lanugo, sive barba obumbrat malas: Virgil. 8. *Æneid. v. 659.*

*Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:*

Servius ibid.

*Tunc mihi prima genas vestibat flore juventas.*

Lucret. *lib. 5*

*Nec minus incerto denteis cadere imperat ætas,*
*Tempora & impubem molli pubescere veste,*
*Et pariter mollem malis demittere barbam.*

Non. Marcell. *virgines non solum fæminæ, verum etiam pueri investes.* Apulej. *in Apol. investem à nobis accepisti, vesticipem illico reddidisti.* vid. Gul. Forner. *Sel. lib. 1. cap. 29.* quamvis autem imberbis apud Romanos potuerit adoptari, eaque differentia fuerit inter adoptionem & arrogationem, legibus tamen Longobardorum hæc iterum confusa, cum nequidem adoptari apud eos imberbis potuerit: Sigon. *de Regn. Ital. l. 2. ann. 616. anno sexcentesimo sextodecimo Gregorius Patricius adversus Duces Gisulphi filios Hunnorum perfidiam adæquavit.* Hic Opitergium, ce-

te-

*terasque Fori Julii Civitates nomine Imperatoris administrabat, adolescentes autem Tatonem & Caconem improvidos nactus, facile se in insidias trahere posse est arbitratus: itaque simulata amicitia, Tatonem se filium adoptare velle, cædenda Longobardorum more barba:* idem de Gothis, Suecis, Norvegiis, cæterisque Gentibus Aquilonaribus narrat Balth. Bonifac. *Ludicr. Histor. lib.* 12. *cap.* 16. Legibus tamen Romanorum posterioribus hæc iterum immutata, omnisque quæ puberes inter & impuberes hac in parte differentia obtinebat sublata, ita ut impubes nunc non tantum adoptari possit, sed & arrogari: *§. 3. J. de adopt.* quod cum hodie abrogatum non sit, æque adhuc locum habere debet *l. 27. C. de testam.* quamvis enim adoptionis & arrogationis usus hodie sit rarus, non inducit tamen statim raritudo abrogationem, præsertim tot in contrariũ exstantibus exemplis: quis enim nescit Carolum Gustavum à Christina Sueciæ Regina, Alphonsum Arragoniæ Regem à Johanna Neapolitana, Ferdinandum Augustum à Mathia Augusto, Ericum Pomeranorum Ducem à Margaretha Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ Regina adoptatos: hon. Dn. Parens *Lib.* 1. *Aph.* 59. Sith-

man *Inst. tit. de adopt.* Bockelm. *ff. tit. de adopt* §. 17. *n.* 4. Beier. *ad Schnobel. Disp. feud.* 6 *th.* 9. Krantz. *in Dan. lib.* 8. aliud exemplum à Facultate Juridica Francofurtensi mense Aprilis 1676. approbatum habet Dn. Mencken. *Disp.* 5. *c.* 2. §. 4. in Electoratu Bavariæ adoptiones adhuc in usu esse testatur Francisc. Balthasar. *Resol. Jur. Civ. & Bavar. tit.* 3. *Res.* 1. *n.* 1. & in Hungaria nonnunquam celebrari Simon van Leeuwen *Cens. forens. p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. nec in Frisia obsolevisse ostendit exemplum illustris viri Alardi Petri à Jongestal à Patruo suo arrogati apud Huber. *ad Instit. tit. de adopt. in fin.* de Philippo Reinhardo à Friderico Casimiro Comite Hanoviæ adoptato est videre in der Durchl. Welt. *part.* 2. *pag.* 24. ut hinc Brunnem. *ad Rubr. ff. de adopt.* recte discessum faciat à Groenweg. *de LL. abrog. ad all. tit. Inst.* Gudelin. *de jur. nov. lib.* 1. *c.* 13. scribentibus adscitos nobis hodie non liberos adoptatos sed alumnos esse: frequentior est unio prolium: refert tamen imaginem adoptionis: hon. Dn. Parens *Lib.* 1 *Aph.* 57. Stryk. *us. mod. tit. ff. de adopt.* Philipp. *us. Pract. lib.* 1. *ecl.* 74. Wehner. *obs. pract. voc.* Einkindschafft.

Th.

*Thes.* 53.

Non bene conveiunt, nec in una ſede morantur Feudiſtæ in quæſtione, unde feuda ſuam habeant originem: aliis ab illis qui primi imperium uſurparunt in alios,in ſpecie à Nimrodo eam petentibus: Wiſſenbach. *comp.feud.c.*1. aliis ab illis qui primi Kederlaomori Regi Elami 12. ann. ſervientibus Regibus, *Geneſ.* 14.*v.*4.aliis à Zedekia, qui jurejurando fidem appromiſerat Nebucadnezari 2. *Par.*36.*v.*14. Feltman. *de feud. cap.* 2. §. 1. quod negat Struvius *de feud. cap.* 1. *Aph.* 3. aliis ab Herode, Stryk. *exam. jur. feud. cap.* 1. *qu.* 3. aliis à Gallorum Solduriis, *quorum hæc erat conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruerentur, quorum ſe amicitiæ dedidiſſent, ſi quid iis per vim accideret, aut eundem caſum una ferrent, aut ſibi mortem conſciſſerent.* Jul. Cæſar *de bell. Gall. lib.* 3. aliis à Romanorum clientelis, de quibus Dionyſ. Halicarn. *lib.* 2. A. Gell. *lib.* 5. *c.* 13. quamvis illa clientelæ officia magis perſonalia fuerint, Guil. Forner. *de feud. c.*2. aliis à prædiis ſtipendiariis, tributariis & agris militibus aſſignatis, Lucas à Penna *in l.* 2. *C. de omn. agr. deſ.* Ant. Cont. *feud. c.* 1. §. 6. Herm. Hermes *ad Weſenbec. perioch. feud. c.* 1. §. 6. Bart. Keckerman.

*Diſp.*

*Disp. Pract.* 31. *qu.* 1. aliis aliunde: nos distinguimus cum communi Doctorum schola inter feudorum affinia, sive quæ feudis jam constitutis occasionem forsan dederunt, quo referri possunt exempla modo allegata, & ipsa feuda, & quoad hæc iterum inter feuda & ipsum jus feudale: sive inter feudorum formam genericam & specificam, vel, ut alii loquuntur, inter materiam & formam, ita ut isto sensu non præcise uni aut alteri genti, sed variis gentibus, at hoc sensu, quatenus scilicet jam feuda in scripturam redacta, & juxta quosdam ab Hugolino Corpori Juris Civilis adjecta sunt, Germanis, speciatim vero Longobardis adscribi debeant: vid. Dn. Thyll. *ad Stryk. exam. cap.* 1. *qu.* 5. constat id non tantum ex textu 2. *F.* 1. §. 1. ubi expresse dicitur, ad decisionem causarum feudalium jura Longobardorum specialiter inspicienda esse, verum etiam ex vocabulorum in jure feudali occurrentium significatione, quorum multa Longobardica sunt: Stryk. *exam. cap.* 1. *qu.* 6. tale est e. g. ipsum vocabulum FEUDUM, dictum vel 1. à föden / füden / alere, eo quod vasallus domino suo egeno alimenta subministrare debeat. Schneidew. *epit. feud. p.* 8. *n.* 112.

conf.

conf. quæ dixi *de jur. sanct. cap.* 1. *th.* 10. §. 5. vel ut vasallus se & familiam suam inde alat: SRYCK. *exam. c.* 2. *qu.* 1. unde *fodrum*, *foderum*, pabulum, alimentum, Futter. Struv. *de feud. c.* 2. *aph.* 1. *n.* 6. Ritterhus. 1. *feud.* 1. *qu.* 12.

*Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt.*

Günther. *lib.* 8. *v.* 573. ut sit quasi *fætum* (*tum* notante idem quod zum vel *tum*, uti in *Wittum*, Reichthum) i. e. datum ad alimenta: hon. Dn. Parens in *Not. ad Feltman. de feud.* 21. vel 2. à *feida*, quod hostilitatem & bellum significat hinc Fehde / Urpfede / Fehde-Briefe / befehden: hinc in Cantico: All Fehd hat nun ein Ende; hinc *diffida*, *facidosus*, hinc in LL. Municip. Calcar. *tit.* 27. Ein Bürger die Vehde marckt. Vel 3. à *fee* & *od*, quorum illud stipendium militare, hoc bona notat: uti in *allodio*, quasi All-Ode / Klein-Ode / Ein-Ode: huc spectat *Vasallus*, à wassen/fassen/ alligare, ut sit quasi *vassus*, angefesselt/unde & fassel. Struv. *c.* 5. *aph.* 12. vel á Vasahlen/ Vaseln/itare, commeare, quia vasallus dominū suum comitare & cum eo coēmeare debet: Wehner. *Obs. Pract.* voc. Vasalen: vel à Gesellen, vel à Wäsel / quod obnoxium significat: *Felonia*, à fehlen, errare

re, hinc Lehnsfehler, vel quasi ohne fee, id est, absque stipendio, vel à fallen / Feltman. c. 18. §. 10. n. 5. hon. Dn. Parens *Not. Feud.* 289. *Morgengaba:* quasi eine Gabe am Morgen: vid. Henr. Linck. *disc. Acad. de matr. leg. Sal. contr. c.* 1. *n.* 23. Berlich. *p.* 1. *c.* 65. *n.* 88. Wehner. *Obs. Pract.* voc. Morgengabe dicitur etiam Morgicar: Morkaur / à *Kaba*, donum. Nic. Myler ab Ehrenbach *Etolog. cap.* 6. *§.* 4. *Investitura*, à vesten / firmare, stabilire: *Cavena* à Kaven, *Guardia* à warden, *Gastaldia* à Gast / & halten, sive à Gast & Alt, hinc *Gastaldus*, *Haltgasten*, *Radegast*, *Ridegast*, *Gasterland*. *Hostenditiæ*, quasi Dienst *contra hostes*, vel potius à Dienst *&* *Ooste*, quod ultimum expeditionem notat: *Halsperga*, de qua voce mentio fit in *Constit. Car. III. de feud.* est composita ex Halß *&* Bergen, notans thoracem vel loricam, uti Hauptach galeam, ex Haupt & Tach: de utroque vocabulo habemus aliquid in libro veterum Cantionum (auctore Wolfaramo Eschilbachio, qui vixit sub Friderico Ænobarbo: vid. Christ. Besold. *oper. pol. Diss.* 1. *de Educat. Stud. Lit. Pereg. c.* 3. *th.* 5. ) Helden-Buch inscripto:

Da

Da sprach der Lampartere
Jch bin noch ungewehrt/
Geh und bring mir doch here/
Mein Halßperg und mein Schwerdt
idem Jch gib dir Fürste werde
Ein gutes Haubetach.

Halspergæ fit quoque mentio in libro Manuscripto de Ann. 1326. in quo agitur de Merlino (à quo nonnulli Malborugum nomen habere putant: vid. M. C. S. Leben und Thaten des *Marlboroughs pag.* 84.) ejusque prophetia, de qua vid: Polydor. Vergil. *Angl. hist. lib.* 1. *pag.* 26. clausula concernens est hæc:

*Und de tvve stacken ene in de syde*
*De andern tvve op den schilt ten tyde,*
*De dereentvve door de manicke med*
*Van den halsberge.*

Sed quid te longum moror lector? credo & ipsorum Consulum Mediolanensium, qui alibi *Sapientes Civitatis* dicuntur, 2. *F.* 25 & Juris Feudalis compilatores communiter habentur, Gerhardi Capagisti & Oberti de Orto nomina ejusdem originis esse & naturæ, ac si dixeris, Gerhart Kopwisch/ aut potius Kap-Gist/ & Ohnbart von Ort: ita sane Gryphiand. *de Weichbild. Saxon. cap.* 50. *n.* 12. sed quam ob rem hic ultimus vocetur Ohnbart/ nondum

dum est penitus in confesso: putares prima fronte illum fortasse imberbem fuisse & hinc Ohnbart dictum, quasi *sine barba* virũ, uti Philibertus sive Fulbertus Episcopus Cornotensis (qui à D. Maria Virgine tempore ægritudinis visitatus, ejusque lacte creatus dicitur. Vincent. *in Specul. libr. 25. c. 15.*) ita nominatus, quod plurima mento canities inculta jacuerit, quasi Viele-Bart / oder Vul-Bart / mit einem guten Bart versehen / consequenter & Ohnbart / der ohne Bart ist: nam quod apud Latinos particula *in* verbo aut nomini præposita operatur, idem apud Germanos efficit ohn: Besold. *thes. pract.* voc. ohn mihi tamen non arridet ista conjectura: tum quod naturalia in dubio debeant præsumi, naturale autem est viros esse barbatos, tum quod credibile sit Mediolanenses barbas non abrasisse, sed ad institutum pristinorum Longobardorum promissas habuisse, vid. *supr. th.* 8. tum quod & plura sint in *bert*, & *bart* desinentia, in quibus talis enodatio locum obtinere non potest, ut *Lambert*, *Gysebert*, *Hübert*, *Robert*, *Wigbert*, *Walpert*, *Dagobert*, *Heribert*, *Sigibert*, *Hasebert*, *Wackerbert*, *Engelbert*: ut verisimilius sit, syllabam istam *bert*, sive *bart*, notare illud quod

quod nobis carum est: quasi werth/wert/ quale nostrum, lieb und werth/ hinc *Dagobert* quasi Degen-werth/ *Heribert* quasi Heere-werth/ *Sigebert*, quasi Sige-werth/ hinc *Bardi* Gallici, de quibus Amm. Marcellinus *lib. 15.* Ergone Ohnbart/ sive Ohnbert/ erit idem quod Ohnwerth/ i. e. nulla veneratione dignum, vel quod est sine pretio? ab ohn sine, & werth/ pretio: sane ita dicendum foret, si ista allusio veram originationem contineret: at quomodo concordabit hoc cum textu Juris Feudalis modo allegato, in quo illi Consules Mediolanenses *Sapientes Civitatis* appellantur? nisi regeras, dari multas in orbe familias, quarum nomina ad personarum statum, naturam, aut conditionem applicari nequeunt, e. g. *Duivel*, *Bytenduivel*, *Hase*. &c. Missis igitur hisce omnibus videtur statuendum syllabam istam bert/ & bart/ neque *barbæ* neque *venerationis* notam continere, sed potius derivandam esse à vocabulo börde/ sive bart/ ut notet alicui affirmative juncta hominem, qui certam terræ plagam, tractum, aut planitiem possidet, vel qui in hac vel illa regione natus est, vel qui in hoc vel illo territorio jurisdictionem aliquam exercere potest: sumitur enim vo-

S ca-

cabulum **börde** & **bard** / sæpe pro certo terræ districtu, hinc **die Götische Börde** apud Potgiesser. *de Cond. & Stat. serv. lib. 1. cap. 3. §. 13.* hinc apud Magdeburgenses **die hohe Börde / die Holtz Börde**: Gryphiand. *de Weichbild. Sax. cap. 61. n. 6.* Besold. *thes. pract.* voc. **Börde** hinc territorium *Bardicum*, & urbs *Bard* in confinio Ducatus Megalopolitani Neoburg. **Cur. Hof-Meister.** *p. 2. p. 1141*, oppidum *Bardewick*: Alb. Krantz. *Rer. Germ. Wand. l. 3. c. 6.* hinc juxta quosdam dicti sunt Longobardi, quasi **von der langen Börde**: vid. tamen *th.* 8. erit igitur **Ohnbart**, quasi *sine* **Bart** / i. e. sine territorio, quemadmodum in Thuringia occurrit **Sondershausen** / & prope Brundusium in Episcopatu Basileensi **Sondersitz**: nisi malis pro **Ohnbart** legere **Wohnbart** / ut eo denotetur terra, quæ ad recipiendas ædes admodum est ingeniosa vereque colona à verbo **wohnen** / inhabitare, & **Bard** / terra: hinc *Ogbertus* quasi *Wohnbertus*, abjecta littera W. utpote Latino idiomati incognita: verbis enim Germanicis sæpe quid additum est à Longobardis, sæpe detractum, quam linguam Scriptores Theodiscam, sive Teudiscam vocant: e. g. *plonum*, **Ein Plog** / sive **Plug** / aratrum: *gantza* **Eine Gans** /

Gans / anser: *gelba*. Ein Kalb / vitulus: *plumratum*, Ein Plugrad / *phiseter* apud Gallos, Saxonice Fisch-Eter / balæna: nec mirum: reperiuntur enim & multa verba Germanica, quæ originem sapiunt Latinam: e. g. Wind / Wal / Fenster / Käse / Saltz / Butter / Maus / Kayser / Garten / Lallen / Rappen: vid. Reinch. Rolbig. *Cod. Crit. lib.* 10. *c.* 18. Johan. Heidfeld. *Sphinx. Theol. Philos. cap.* 6. *p.* 155. Feltman. *de tit. hon. lib.* 1. *c.* 29. Horn. *ad Sulp. Sev. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 5. voc. *in. Paradiso*: Gryphiand. *de Weichbild. cap.* 38. & quis non animadvertit hinc vocabulum istud bard / sive bert / diversas pati originationes, ac pro subjecta materia esse explicandum, ita ut modo barbam notet, modo quod carum nobis est, modo certum terræ districtum: quemadmodum è contrario haud absonum videtur illud in nomine *Obert*, non seperandum esse à littera *O*, sed conjungendum, ac conjunctim legendum *obert*, quasi oberst, i. e. præfectus: ita ut tum per *Obertum* de *Orto*, intelligatur *Præfectus Loci*, ab *obert*, & *ort*; quorum alterum, ut dixi, *præfectum* significat, alterum vero locum.

*Th.* 54.

*Sole & Sale nihil totis corporibus utilius,*

 in-

inquit Plinius *hist. nat. lib.* 31. *c.* 9. quid enim sale præstantius? quid utilius? quid verum conservationi conducibilius? vid. Voss. *de Idol. lib.* 6. *c.* 1. Sane Romani mensas suas, non nisi sale apposito, sacras credebant: Arnob. *lib.* 2. nec Græci libum placentasque Diis placere existimabant, nisi hordeum sale inspersum esset: Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib.* 3. *c.* 12. vocatur ob id ἅλας ἱερὸν· Bonifac. *Ludicr. Hist. lib.* 6. *cap.* 3. Conf. *Levit.* 2. *v.* 13. apud Homerum *divinus*, à Platone, Græco juxta Clementem Alexandrinum Mose, *Sacrosanctus*: transiit eapropter appellatio ad voluptates ac dotes animi: Horat. 1. *eclog.* 10. *quod multo sale urbem defricuit.* Plaut. *Cas.* 3. 2. 8. suntque pueri, qui præcoci ingenio pollebant, *Salipitsii* ab antiquis nominati: nescio numne eo respiciat parœmia ista Belgica, *een Kusjen sonder Baerd, smaekt als een ey sonder zout*: norunt id virgines, quibus magis volupe est barbati, quam immaturi alicujus Pusionis basiane genas: uti enim Sal est condimentum ovi, ita est barba condimentum osculi: scribit quidem Theodoritus Episcopus Cyrensis de Antiochensibus, quod barbam nullius æstimaverint assis, imo & fastidiverint, at oportet Titanem no-

ſtris virginibus de meliori luto præcordia finxiſſe, tale in barbam odium, græce *μισοπώγον*, quam maxime odio habentibus: neque tamen ad hoc ſolum reſpicit allegata parœmia, verum ad multa etiam alia: conſequitur enim ex eadem: (1) minorem ſine curatoris ſui conſenſu nec naturaliter nec civiliter obligari: hon. Dn. Parens *de Jur. Ventr. p. 9. §. 4.* Gœdd. *ad l.* 21. *n. 7. de V. S.* ſed eſſe ejusmodi obligationem inſtar ovi absque ſale, & oſculi absque barba. (2) nuptias ſine parentum conſenſu contractas omni ſale ac barba carere, adeoque omni effectu, ſed per ratihabitionem ſubſequentem ſale aſpergi, barbam accipere, & confirmari: dixi de hac quæſtione in *tr. de Jur. Sanct. cap. 1. th. 4. §. 9.* (3) nuptias Italicas, de quibus *ſupr. th. 6.* ubi feminæ ἐφάλλονται, καὶ παρὰ φύσιν ἀνδρίζονται, ipſi naturæ & ſanæ rationi adverſari.



# INDEX RERUM.

## A.



B.Bac-

B.

Cul-

## G

Lepra

M.



N.

O.



P.



Prin-

FINIS.